

Q. K.
415,
24

X 187 6269
Q. D. B. V.

II i
2711

DE
RITV
LECTIONVM
SACRARVM,

PRÆSIDE
M. VVILHELMO ERNESTO
TENTZELIO,
ORDIN. PHILOS. ADIVNCTO,
PVBLICE DISSERET
GEORG. HENRICVS GOEZIVS,
LIPSIENSIS.

AD D. V. DECEMBR. clj lccXXCV.
IN AVDITORIO MAIORI.



WITTENBERGÆ,
TYPIS CHRISTIANI SCRÖPTERI, ACAD. TYPOGR.



JCTO Illustri,

&

Magnificâ Autoritate Eminentissimo,

DN. CASPARI ZIEGLERO,

Sereniss. Elect. Saxon. in Supremo Appellationum Judicio
Consiliario splendidissimo, Antecessori in hac Almâ famigeratissi-
mo, Facultatis Juridicæ Ordinario ac Seniori Venerabili, Consistorii Ec-
clesiastici, Curia Elect. & Scabinatus Assessori Gravissimo,

ut

THEOLOGIS

*Maximè Reverendâ Dignitate, Doctrinâ Excellentia,
Munerumque Amplitudine Celeberrimis,*

DN. THEOPHILO SPIZELIO,

DN. JOH. GODOFREDO OLEARIO,

&

DN. WOLFGANGO GUNDLINGIO,

In Ecclesiis Augustanâ, Hallensi ac Noribergensi Verbi
Divini Ministris fidelissimis ac vigilantissimis,

*Patronis ac Studiorum Promotoribus submisso observan-
tis cultu devenerandis,*

Dissertationem hanc Historicam

in

Devotæ mentis Testimonium

observanter offert,

ulterioremque Benevolentiam

SUPPLEX ORAT, & ut CONFIDIT

EXORAT

Devinctissimus Cultor

GEORGIUS HENRICUS GOEZIUS,

Lipsiensis,

Clarissimo atque Præstantissimo
VIRO-JUVENI
GEORG. HENR. GOEZIO,

Salutem plurimam dicit
JO. FRID. MAJER, D. P.P.

Sic TE, Mi Goezi, dignum moribus exhibes,
Et respondes commendationi, quam Excellen-
tissimus Schmidius, Professor Lipsiensis, tua
de causa ad me non ita pridem scribere meministi:
cum diligentia tuæ specimen eximia in habenda
sub Præcellentis ac Nobilissimi Viri Tenzelii nostri
Præsidio Dissertatione elegantissima ob oculos o-
mnium ponas. Quo ipso ulteriorem tui amo-
rem in aliis etiam excitas Et majorem adhuc ex-
spectationem, ac conceperam primum, de te conser-
vare jubes; longeq; ab eorum hominum animis re-
motum te ostendis, qui extortis commendationibus
superbiunt; de earum autem fine assequendo minime
cogitant. Quapropter Tibi de hoc ingenio gratulari
opus habeo; Et si laborem, ut cœpisti, in studiis po-
nendum amplius non ferre dedigneris, certo tibi
polliceri audeo, quod dignum suscepti laboris præ-
mium sis visurus.

Ad

Ad
Præ-Eximium atq; Litteratissimum
DN. GEORG. HENR. GOEZIUM
Philos. Candid. dignissimum,
L. J. SCHMIDIUS, P. P.

Cum nihil gratius mihi accidere queat, quàm si è Scho-
lâ nostrâ egressos ad sublimiora tendere, & egregi-
am egregiorum profectuum supellectilem Eruditorum
Orbi exponere videam, verbis exprimere cer-
tè non possum, quantâ voluptate quantoq; gaudio perfu-
sus undiq; & delibutus fuerim, de iterato exuditionis tue
Specimine in almâ Leucorea propediem edendo, è tuis nuper
certior redditus. Ex quo tempore enim in nostrâ Philurâ
tua studia moderari, & intimius Te noscere capi, capi &
singularem tuum discendi ardorem, pietatem, candorem,
modestiam aliasq; Virtutes in Te conspicuas non parum æ-
stimare, nihilq; magis in votis habere, quàm ut in lauda-
tissimo Virtutum stadio indefesso studio pergeres, & industria
tua documenta subinde exhiberes. Cujus voti quod me, O-
PTIME JUVENIS, rursus compotem reddideris, ac dissertatio-
ni de Quartadecimanis proprio Marte elaboratæ & sub
moderamine meo non sine insigni laude publicè ante semestre
& quod excurrit, ventilatæ, aliam sub Præ-Clarissimi Viri Ulm-
bone Litteratorum examini subicere apud animum consti-
tueris, non possum non tripudiare, de laudabili hoc conatu
ex animo gratulari, & præclara quævis de Te mihi promit-
tere. Supremum Numen Te, flos juvenum lectissime, diu so-
spitem atq; incolumem conservet, ac tua studia magis ma-
gisq; provebat, quò Celeberrimi Dn. D. Bohnii, Avunculi tui
longè honoratissimi, summam, quam sibi in litterario orbe
acquisivit, famam, suo tempore attingas. Vale.



I.

Ritum Sacrarum Lectio-
rum in Ecclesia pri-
sca modernaque receptum breuiter deline-
aturi operæ pretium existimamus, origi-
nem illius primo omnium inquirere. Ac
nihil quidem dubitari atrimet, quin ab i-
psis Apostolis institutio Sacrarum Lectio-
num sit arcessenda. Certe si vnquam, hic
præsertim locum habet πολυθρύλλητος
Augustini regula: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec a Conciliis
institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apo-
stolica traditam rectissime creditur.* Argumenta huius traditi-
onis Apostolicæ in ipsis Noui fœderis scriptis exstant, vnde li-
quet, & veteris & noui testamenti libros in Ecclesia Apostolica
lectos esse. Quanquam enim cum Nostratum nonnullis no-
lim huc trahere, quæ in Concilio Hierosolymitano Iacobus dis-
seruit Act. XV. 21. quum ea apertissime non Ecclesiæ Christi-
anæ, sed Iudaicæ consuetudinem describant: tantum tamen
abest, vt Apostoli veteris instrumenti scripta fidelium manibus
excusserint, vt potius Christi monitis Ioan. V. 39. obtempe-
rantes eorum diligentiam maxime probarint, qui Euangelicas
prædicationes cum antiquo fœdere conferrent, exemplo Be-
rhocensium Act. XVII. 11. Quæ scrutinia non intra priuatos
tantum parietes, sed publice etiam coram tota Ecclesia insti-
tuebantur, vt I. Cor. XIV. præclare docet Paullus, inprimis
v. 26. vbi ἐρμηνείας meminit. Quare Ioan. Morinus Lib. VI.
de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. IV. num. 4.
vt ut in tempore adsignando peccauerit, collationes fidelium ante
Eucharistiã factas adserendo, quas post eiusdem celebrationem
insti-

A

insti-



institutas Tertullianus in Apologetico commemorat; de cetero tamen non inepte rationem Sacrorum Apostolicae Ecclesiae descripsit: In illis ad Eucharistiae celebrationem praebulis nascentibus Ecclesia non modo Psalmi cantabantur, Lex, Propheta, Epistola & Evangelia legebantur, & Homilia ad populum habebantur, quod haecenus in utraque Ecclesia, Orientali & Occidentali viget, sed etiam collationes variae & sermonculi a duobus aut tribus fidelibus in unaquaque Synaxi pronuntiabantur, de quibus ceteri iudicabant.

II. Enimvero sua quoque scripta in Ecclesiis publice praelegenda mandasse Apostolos exemplo suo Paullus ostendit Coloss. IV. 16. & 1. Thessal. V. 27. Nec alia fuit Evangelistarum mens, quam lubet enarrare verbis Petri Danielis Huetii Deum demonstrat. Euang. Propos. IX. cap. CXXVII. pag. 914. Evangelium in Iudeorum gratiam & inter Iudaeos scripsit Matthaeus, auctore Irenaeo; Marcus in gratiam Romanorum, utpote quod Roma iis postulantiibus scripserit, testibus Eusebio & Hieronymo; Lucas Hellenistarum, quippe Antiochenus, inter Hellenistas natus; Ioannes Graecorum, Ephesi nimirum, rogatus ab Episcopis Asia, ut docet ex Irenaeo Eusebius, ex Eusebio Hieronymus: Sic tamen ut Evangelia sua Scriptores hi quatuor, totius etiam Ecclesiae communia esse vellent, ab eaque uno consensu recepta sint. Loca auctorum in margine citat Huetius, e quibus non possum non Eusebii de Marci Evangelio testimonium ex Papiam & Clemente Alexandrino petendum adscribere, quo nescio an illustrius aut antiquius in rem nostram proferri possit. Ita vero Eusebius lib. II. Histor. Eccles. cap. XV. γινόντα δὲ τὸ πρῶτον ἐν Φασί τὴν Ἀπόστολον, ἀποκαλύψαντος αὐτῷ τὸ πνεῦμα, ἠδῆναί τῆ τῶν ἀνδρῶν προθυμίᾳ, κურῶσαι τὴν γραφήν εἰς ἐντευξίν ταῖς ἐκκλησίαις. Quod Marci Evangelio Petrus, id eidem & ceteris duobus praestitit Ioannes Apostolus, suumque addidit, ut prolixius docet Eusebius Lib. III. cap. 24.

III. Quae cum ita se habeant, non opus est, ut vel cum Leone Allatio Dissert. 1. de Libris Ecclesiasticis Graecorum pag. 49. vel cum Cardinali Bona Lib. II. Rerum Liturg. cap. VI. aliisque

Latinis

Latinæ religionis hominibus ad Constitutionum Apostolicarum Lib. II. cap. 57. & lib. II. cap. 5. 6. Iacobique Liturgiam confugiamus, & scriptis illis supposititiis aut mire saltem interpolatis Apostolicam antiquitatem adscribamus. Nec Eusebio etiam ejusque sequacibus adsurgimus, ut Therapeutas a Philone Iudæo libro peculiari descriptos credamus fuisse primos in Ægypto Christianos a Marco conversos. Quanquam enim ad ritus quoque sacrarum lectionum conformitatem prouocat Eusebius, Lib. II. Histor. Eccl. cap. XVII. inde tamen non minus ac cæteris eius argumentis aut non probatur Therapeutas fuisse Christianos, aut docetur Iudæos fuisse, quod tam aperte post alios plurimos docuit Martinus Hankius Libro II. de Romanarum rerum scriptoribus Parte I. cap. VIII. a numero LVI. ad XCIV. ut mirum sit, reperiri hodie inter eruditos, quibus suaue illud Eusebii somnium arrideat, quod videre est apud Guil. Beueregium Lib. III. Vindic. Canon. Apost. cap. V. & Isaacum Vossium Libro variarum observationum nuperrime edito cap. X. pag. 46. 47. 48.

IV. Non possum tamen committere, quin præclarum Iustini Martyris testimonium ex Apologia ad Antoninum Pium describam, sequutus novissimam elegantissimamque operum Iustini editionem, quam nostrates adornant Bibliopolæ & propediem luci publicæ exponent. In ea igitur pag. 98. hæc leguntur: καὶ τῆ τῆ ἡλίου λεγομένη ἡμέρα πάντων κ' πόλεις ἢ ἀγροὺς μερόντων ὅτι τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεσθαι, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεσθαι μέχρις ἐγχαρῆσθαι, εἶτα παύσαμένους τὸ ἀναγινώσκοντες, ὁ προσεφώνησεν λέγων τὴν νεφελίαν ἢ πρόκλησιν τῶν καλῶν τῶν μιμήσεως ποιῆται. Nec minus memorabilis est sententia Iustini, quando ipsum Iesum Christum auctorem dicit Apostolis fuisse, ut ea omnia die Dominico peragerent, pag. 99. καὶ τῆ μετὰ τὴν κρονικὴν, ἣτις ὅτιν ἡλίου ἡμέρα, φανείσ τοῖς ἀποστόλοις αὐτὸ καὶ μαθηταῖς ἐδίδαξε ταῦτα, ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἀνεδώκαμεν. Quæ tamen non obstant, quominus Sacrarum Lectionum ritum ad exemplum imitationemque Synagogæ Iudaicæ ab Apostolis ordinatum esse arbitremur cum eruditis, inter quos ex Pontificiis π'ν π'νυ Huetium Not. Origen.



pag. 8. ex Nostratibus Reuerendum Noribergensium Ecclesiasten,
Wolfg. Gundlingium Obseruat. in Can. XVI. Laodicenum & ex
Reformatis Clarissimum Leydensium Theologum, Stephanum le
Moynes Obseruat. in Epistolam Polycarpi, To. II. Variorum Sa-
crorum pag. 22. 23. adduxisse sufficiat.

V. Tempus lectionibus publicis destinatum in quotidianum, & solenne
dispescimus. Etenim primi Christiani quotidie conueniebant, & Plini-
ii ætate *cæty antelucanos* agebant, lectioni Scripturæ diuiniõis &
Eucharistiæ Sacramento aliisque pietatis operibus vacantes. Eo
videri meretur Ger. Ioan. Vosii Commentarius in citatam Plini-
ii ad Trajanum epistolam pag. 25. seq. Et quanquam post reddi-
tam a Constantino M. pacem deferbuit ardor Christianorum, ut
non quotidie de corpore & sanguine Christi participarent, quam
desidiam sapius increpant Patres, Basiliius in primis & Chryso-
stomus; mansit tamen usque in hodiernum diem lectio diuinarum
Scripturarum. Quæ præsertim in solennioribus Christianorum
conuentibus die Dominica obseruari consuevit, uti antea ex Iusti-
no Martyre docuimus, & infra latius probatum dabimus. Sab-
bati quoque die *Εὐαγγέλια μὲ ἐτέρων γρηφῶν ἀναγινώσκουσιν*
præcipiunt Patres Concilii Laodiceni can. 16. quem præclare illu-
strat Iobus Ludolfus Lib. III. Histor. Æthiop. cap. 1. n. 45. sed ca-
ue, ut primis Christianis peculiarem Sabbati cultum in usu fuisse cre-
das, quorum sententiam ex Paulo & Iustino Martyre exponit Io-
an. Dallæus de Script. Ignat. cap. XV. Itaque cum iudicio legen-
da sunt, quæ Paganinus Gaudentius de Vita Christianorum ante
Constantinum cap. 40. eam in rem attulit. Porro quum ab ini-
tio Christianismi certa quædam festa in memoriam beneficiorum
Christi celebrata fuerint, dubium non est, quin certæ etiam festis-
sime congruentes pericopæ ex sacris literis populo fuerint præle-
ctæ. Quod uti ex antiquorum Patrum sermonibus aliisque Ec-
clesiasticis monumentis paullo post adstruemus, ita monemus in
anteceffum, ex inscriptionibus illarum homiliarum firmiter non
posse probari festorum eo tempore existentiam, quum constet in-
ter eruditos, plerumque non ab ipsis auctoribus, sed a librariis ti-
tulos esse adscriptos nec eorundem fraus ignota sit, quæ sæpe vna

conciq

Dallæus
p. 327. cit. cap. 40. quæ dicit, con-
stare ex Constitutionibus Mando,
Apostolicis Gregorio Nysseno, &
Anastasio Nicæno, quod seculo
secundo imò et quarto Græcis solen-
ne fuerit diem Sabbati non quidem
more Iudaico sed in spiritum ce-
lebrare.

concio pluribus diuersarum aetatum regionumque Doctoribus tri-
buitur. *quod ut apertius intelligatur, exemplo rem declara-*
VI. *Quod ut apertius intelligatur, exemplo rem declara-*
bimus. Festum Ὁραπαυτης sive (ut hodie vocari solet) Puri-
ficationis Mariae a Iustiniano Imperatore institutum esse non so-
lum Nicephorus, cui dubius admodum accedit Paganinus Gau-
dentius Parte II. de moribus saeculi Iustiniani c. VII. sed illius quoque
proximaeque aetatis scriptores, & ex illis inter Graecos Theophanes &
Georgius Hamartolus, quorum prior Parisiis editus habetur, po-
steriorem ἀνεκδοτον haecenus a CL. Schubarto ex schedis Bosianis
exspectamus; inter Latinos vero Paullus Diaconus, Landolphus
Sagax, Anastasius Bibliothecarius, Sigebertus Gemblacensis plures-
que attestantur: quibus inter Pontificios accedunt Baronius in
Martyrologium Romanum, & Anton. Pagi Dissertationis Hypa-
ticae P. III. Cap. II. n. VII. pag. 320. alique mox citandi. Sunt
autem non pauci ejusdem religionis, qui varias veterum homilias
proferunt quasi ante Iustinianum habitas, ut Methodii, Nazianzeni,
Chrysoctomi, Ambrosii, Fulgentii, ac similium. His ex rationi-
bus supra adductis facile responderi potest, vnde etiam argumen-
tum quoddam depromsit Iacobus Gretserus aduersus homiliam
Methodio adfectam in Opere de Cruce: cui frustra repugnat Na-
talis Alexander Synops. Saec. IV. cap. VI. pag. 394. Sic Pamelio
Annot. in Cyprianum ad Nazianzenum prouocanti responderunt
Iac. Billius Lib. I. Obseruat. Sacr. c. 21. & Ioan. Ludov. de la Cerda
Aduersar. Sacr. cap. CXXI. n. 29. ejus orationem εἰς τὴν ἁγίαν Θεο-
τα non in festo Ὁραπαυτης, sed Epiphaniae habitam esse. Pari-
modo deceptus est Xylander, castigatus ab Allatio Dissert. de Do-
minicis Graecorum n. XXXII. qui & num. II. profert locum ex Georgio
Hamartolo, vnde patet Chrysoctomo homilia in hoc festo habitam
tribui non posse. Nam Georgius sub Iustiniano festum Hypapantes
coepisse statuens citat ex Chrysoctomo testimonium, qui sua ae-
tate sex tantum festos dies Oeconomiae Christi receptos fuisse ad-
ferit. Prolixior est locus, quam ut hic possit exhiberi. Eum Be-
nevolus Lector apud Allatium euoluat. Pat ratio est Sermonis Am-
broisii suppositi, quem ope Codicis Colbertini vetusti Alcuino

Nequaquam. Aluel ostendit
αὐτοψία.

vindicavit Steph. Baluzius Lib. 1. Miscellaneorum, & in Praefatio-
ne plane accessit Baronio in prima institutione festi hujus adsi-
gnanda: quod factum quoque est a novissimis Fulgentii editori-
bus Parisiensibus, homiliam quandam ea de causa iuniori auctori
tribuentibus; unde patet, ne Parisiis quidem apud eruditos magni
fieri Alexandri rationes, quas aduersus Gretserum excogitavit.

Alexander quod dicit
me autopsia aduersus
Gretserum rationes nul-
las excogitavit, sed aduer-
sus Baronium.

VII. Aliter autem se res habet in caeteris festis, quorum ex
indubitatis veterum monumentis certa superest originis memoria.
Quod si enim in ipsis Doctorum sermonibus non occurrit ulla
ἡ ἀναγιγνωσκόμενος eorum dubitandi ratio, legitime exinde confici-
tur, quanam sacrorum scriptorum Pericopæ tum prælectæ explica-
tæq; fuerint. Occurrit tamen in libris antiquis & nouis Ecclesiasticis
tempus quoque specialius, cui certæ destinatae fuerunt lectiones.
Tales erant, quum Catechumenis competentibus symbolum tra-
debant: alia quum Baptismum administrabant: alia quum in-
firmos sacro Eucharistiæ viatico ad beatam mortem præparabant,
& similes, de quibus mox plura dabimus, quando ad ipsa ἀνα-
γιγνωσκόμενα progrediemur.

VIII. Ita enim Græci veteres recentesque solent adpellare,
quæ in publico Ecclesiæ cœtu præleguntur, de quibus notabilis est
observatio Danielis Heinsii Exercit. Sacr. in Cap. IV. Lucae pag.
148. 149. quod Christi in Synagoga Nazarethana locum Esaiæ ex i-
psa lectionis serie, rei de qua agitur accommodatum, legentis ex-
emplum sequuta sit Ecclesia Christiana, quemadmodum & in ple-
risque nunc obtineat, in quibus certa serie, καὶ ἐξ ἀκολουθίας certius
legatur exponaturque contextus, qui ἀνάγνωσμα & ἀνάγνωσις
a Patribus dicatur. Unde & paulatim factum sit, vt non solum
contextus, qui instituto seruit, sed & locus Scripturæ quilibet ἀ-
νάγνωσμα diceretur. In nostris Ecclesiis lectionum quotidiana-
rum pensus capitibus terminatur. Habuerunt quoque Græci ab
antiquis temporibus sacros libros in κεφάλαια distinctos, quo-
rum rationem prolixè exponunt Henricus Stephanus & Isaacus Ca-
saubonus apud Ioan. Henr. Hottingerum in Analectis pag. 335.
336. Sed notatur Casaubonus ab Huetio Not. Orig. p. 19. 20.
Nentiquam ergo audiendus Casaubonus, qui veteribus idem fere

κεφά-

κεφάλαιον fuisse docet, ac nobis hodie versiculum. Quamvis enim κεφάλαιον, & Capitulum aliquando pro versu uno sumatur, vel si proprie loqui decet, versum unum complectatur, eiusmodi tamen κεφάλαια hic non intelligit Casaubonus, sed illa, in quibus Novi Testamenti Tituli distributi sunt: nostrorum autem versiculorum numerus antiquorum κεφάλαιων numerum triplo circiter superat. At Veterum στιχοι hodiernis breviores erant. Cæterum de κεφάλαισι istis sententiam suam dicunt etiam Henricus Valesius in initio Adnotationum Eusebianarum pag. 3. & Richardus Simonius in Historia Critica veteris Testamenti lib. I. c. 28. pag. 145. quos evoluerè ac perpendere poterit Lector eruditus.

IX. Ut autem ratio horum ἀναγνώσμάτων & κεφάλαιων melius intelligatur, ex Patrum Græcorum scriptis exempla quædam proferemus, cuiusmodi plura apud Heinsium Præfat. in Aristarchum Sacrum, eiusque acerrimum censorem Ioan. Crolum Observat. Sacr. cap. IV. Nec non Ioan. Casparum Suicerum in Thesauro Ecclesiastico similesque Scriptores videri possunt. Eisdem difficile admodum est definire, quid primis sæculis ante Constantini Magni ætatem in Græca Ecclesia quotidie lectum fuerit, nec suppetunt monumenta, unde liceat satis discriminare lectiones quotidianas a Dominicalibus, ut vulgo vocantur. Nihilominus pro comperto habent eruditi, illis quæ diximus temporibus certas pericopas diebus Dominicis non fuisse destinatas. Nobis itaque satis erit, enumerare quædam Doctorem Græciæ loca, unde de ἀναγνώσει fieri possit iudicium. Audiuius antea Iustinum Martyrem, cuius nonnulla huc etiam transferemus: τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τὰ συγγραμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκειται μέχρις ἑγχαρῆς. Vbi observanda interpretatio Ioach. Camerarii in vita Christi, qui ἀπομνημονεύματα ἀποστόλων ait esse alterius dictorum & factorum repetitorum memoria recitationes. Ea autem non ad Evangelia tantum & Actus Apostolicos restringenda venit, sed omnia Novi foederis scripta complectitur, quandoquidem non solum Euangelistæ, sed Paullus etiam & ceteri in suis epistolis doctrinam & vitam Christi expresserunt, hominibusque sequendam præscripserunt. Præterea ex eodem

dem Iustini loco concluditur, eius ætate non ex veteri & nouo
foedere simul in vna Synaxi lectiones fuisse desumptas, id enim vult
aduersativa particula ἢ, nec certas tum observatas pericopas, aut
certum pensum adsignatum fuisse, sed tamdiu prælecta diuina O-
racula, quamdiu tempus permisit, μέχρις ἐγχαρῆι.

X Quod vltimo loco diximus, confirmant Origenis homiliae, e qua-
rum naufragio exiguas reliquias collegit Huetius. Nam p. 26. 27. ex
Philocalia, quam Basilus M. & Gregorius Nazianzenus ex Orige-
nis scriptis congesserunt, fragmentum describit in Iosuaam cum
interpretatione Ioan. Tarini, cuius tale est initium: *Summa uti-
litas διὰ τῶν ἀναγνωσμάτων ab eiusmodi lectione ad eos per-
uenit, qui veram terra distributionem a Iesu Naue factam filiis I-
srael intelligere possunt, & ad eum qui potuit ascendere in terram
sanctam, veram & vere bonam, & ex appellatione eorum que di-
cuntur, diuersis sortientibus, que de singulis locis commemorantur,
accommodare. Sed quoniam difficile est inuenire, qui tantum
capiat utilitatis, βεβλόμεθα ὡς θαυμάσιας τῶν ἀκρίβειας μὴ ἐκ-
κακεῖν ἐπὶ ταῖς ἀναγνώσεσι, adhortari volumus audientes, ne a-
nimus inter legendum despondeant.* Non dubito, quin populo
tum prælecta fuerint integra quinque capita modernæ distinctio-
nis libri Iosuae a XV. ad XX. & ex longiori lectionis mora tædium
profectum esse existimo, quod lenire fatagit Origenes. Nec bre-
uius est aliud ἀνάγνωσμα, cuius idem in Homilia de Engastrimy-
tho mentionem facit, quam primum cum Eustathii Antiocheni
refutatione edidit Leo Allatius, tum nono Criticorum Sacrorum
Tomo inseruerunt Angli, denique inter Origenis Exegetica exhi-
buit Huetius pag. 28. 29. *Τὰ ἀναγνωσθέντα πλείονά ἐστι καὶ ἐπεὶ
χρὴ ἐπιτεμνόμενον εἰπεῖν δυοὶ περικοπαῖς. Que de Nabale Caro-
melo Scriptura narrat legimus; post hæc occultationis Davidis a-
pud Ziphæos historiam, illum ab eis accusatum, aduenisse Saulem
eo animo, ut Davidem caperet; & cum aduenisset tempus, expe-
ctasse; superuenisse Sauli Davidem, illoque illiusque custodibus
dormientibus, lanceam & aquæ lenticulam rapuisse, postea illis qui
illius custodes erant, sed qui dormierant, reuelasse. Sequitur ter-
tia narratio, Davidem ad Achis regem Geth, aufugisse, & quam
inve-*

inuenit gratiam David post res praeclare gestas, ad quem, corporis
mei custodem constituam te, inquit. Ultima omnium est de ven-
triloqua & Samuele. Visa namque est ventriloqua Samuelem euo-
casse; Samuel Sauli vaticinatur. Τεὸς δὲ γων ἰσῶν ὠεικοπιῶν ὡς
ἐκάστῃ περὶ γματὰ σὺν ὀλίγα ἔχει, quilibet harum partium, quae
quatuor sunt, etiam his qui hisce rebus examinandis sunt, non vni-
us sed plurium horarum congressu occupando negotium facesset.
Equidem quatuor istae pericopae vna lectione propositae quatuor
etiam capita modernae distinctionis in libris Samuelis constituunt,
XXV. XXVI. XXVII. & XXIX. sed in omnibus tamen cum his non
conueniunt, ut collatio docet, monetque in Annotationibus Hu-
etius. Plura ἀναγνωσμάτων exempla sermones Origenis in Iere-
miam, sub falso Cyrilli Alexandrini nomine Antuerpiae an. clō Iōc
XLVIII. a Balthasare Corderio ex Bibliotheca Scorialensi maximam
partē editi continent, quae collegit in Notis Huet. p. 18. qui & p. 104.
ex Commentariis Origenis in Ioan. monstrat, quod is in Nouo etiam
foedere Lectionum capita agnouerit, additque, quaedam Scripturae
capita populo ad sacra coeunti pro Episcopi arbitrio praelegi solita
fuisse. Id ut facilius esset factu, in certas sectiones, quae & Lecti-
ones dicebantur, totam Scripturam distribuebant. Has Lectio-
nes συναγωγῶσις & ἀναγνώσματα Origenes hic appellat.

XI. Sed de περικοπαῖς Graecorum aliter, ac vulgo fit, mihi
videtur statuendum. Etenim tantum abest, ut semper ex earum apud
Patres mentione cum Croio cap. 3. & 4. certam quandam diuisio-
nem vulgo receptam colligam, ut assentiar potius Huetio Not.
Orig. pag. 19. Falluntur multi, qui quotiescunque ὠεικοπήν ali-
quam designant Patres, ad diuisionem tum temporis vulgo receptam
eos respexisse putant; sepius enim memata a reliquo contex-
tu ad libitum ac pro tempore diuulsa hac voce nuncupabant. Quae
vera esse omnes percipient, quibus volupe est considerare non O-
rigenis modo ab Huetio collecta testimonia, sed aliorum etiam Pa-
trum, Iustini Martyris, Clementis Alexandrini, Athanasii, Basilii &
Chrysostomi, quae Croius attulit; idemque Huetianae sententiae
non obscure accedit in eodem Athanasii loco interpretando cap.
VII. Imo si ὠεικοπή nihil est aliud, quam sectio, quae integrum ali-

B

quod

quod complectitur argumentū, quis non videt, Patres sapissime
 κοπήν dixisse certas quasdam Scripturæ particulas argumentum a se
 tractatū illustrantes & confirmantes. Non tam ē uerim inficias, περι-
 κοπὰς apud eosdem nonnunquam dici eas Scripturæ sectiones, quæ
 alio nomine κεφάλαια nuncupari solent. Quarum usum enar-
 rat Auctor Catena Græcæ in Ieremiam a Ghislerio editus & a Cro-
 io citatus, ἴσως δὲ, ὡς ἔ μόνον Διαφόρως ἠνέχθησαν ἐν τοῖς νοή-
 μασι τῆς ἑοπνεύσης γραφῆς, οἱ ταύτην ἐρμηνεύοντες, ἀλλὰ δὴ καὶ
 αὐτὰ τὰ ῥητὰ τῆς ἑίας γραφῆς σκίσιως διεσείλαντο, καὶ ἔτω τὴν
 ἐρμηνείαν ἐπέθηκαν. ὁ μὲν γὰρ πλείους ὁ δὲ ἥττους στίχους περιθεμενος
 τὴν ἐξήγησιν καὶ ἐκ τῶν δοκῶσιν οἱ δευτεροὶ, οἱ ταῖς κεφαλαίοις
 ἐπικείμενοι, ἀναχαιτίζειν τὰς τὸ ἔδαφος ἀναγνώσκοντας εἰς τὰ
 πρόσω βάνειν καὶ ἔν ἐν, καὶ δευτερον καὶ τρίτον κεφάλαιον τὸ ἔ-
 δάφος τῆς ἁγίας γραφῆς ἀναγνώσκειν, καὶ ἔτω τὰς ἐγκειμένας
 ἐρμηνείας, ἵνα εὐσύνοπτα ὡς τοῖς ἐγτυγχάνουσι τὰ νοήματα.

XII. Sed ut κεφαλαιομετρία Græcorum clarius intelliga-
 tur, res paullo altius est repetenda. Versio septuaginta Interpre-
 tum in Græcorum Ecclesiis & olim lecta est, & hodie, quanquam
 successu temporis maxime interpolata, eidem usui inseruit. MSti
 Codices, quo antiquiores sunt, eo obscuriora distinctionum refe-
 runt vestigia. Non tamen omnibus sectionum indiciis destituuntur
 quæ nonnullorum eruditorū est opinio. Id probabo iisdem Codi-
 cibus, quos solent allegare, & ante annos mille supra ducentos exa-
 ratos credunt, Vaticano nimirum & Alexandrino. De priori pro-
 ducam testem Ioan. Morinum, prout a Briano Waltono Prole-
 gom. IX. num. 30. citatur: *Codex Vaticanus exaratus est litteris
 maioribus siue uncialibus quas vere antiquas vocant, sine capitum,
 versuum ac verborum distinctione; sine accentuum & spirituum
 notis; & quantum ex Scriptura conicere licuit, ante mille ducen-
 tos annos, id est ante Hieronymi tempora scriptus videtur. In
 libro tamen quatuor Prophetarum distinctio quedam subobscura
 apparebat, illi pene similis, quam describit S. Dorotheus Martyr.
 Codicem vero Alexandrinum vocant, quem Cyrillus Patriarcha
 quondam CPtanus ex Alexandria, ubi primum Patriarcha fuerat,
 secum translatus Carolo I. Anglorum Regi tanquam singulare*

κεῖ.

κειμήλιον dono miserat. In eo nulla est distinctio vocum, nedum
versuum, sed tantum sectionum quarundam, ut Waltonus adserit
 Prolegom. III. num. 58. qui prolixior est Prolegom. IX. num. 34.
Exaratus est hic liber literis maioribus antiquis, sine vlla capitum,
versiculorum, aut verborum distinctione, & sine accentuum vel Spi-
rituum notis, exceptis quibusdam sectionibus, quæ per spatium quod-
dam inter verba designantur, & libris 5, quos per σιχες olim di-
stinctos fuisse tradiderunt veteres; scil. Iob, Psal. Prov. Eccles. &
Cant. ut ex libro Iob, quem ex hoc MS. olim publicavit Patric. Ju-
niius, perspicere licet. His etiam in eodem volumine atq; eadem sti-
chorum forma adduntur libri Sapientie & Ecclesiastici. Adde-
 mus Patricii Junii verba Præfat. in Iobum, quæ suis etiam Prolego-
 menis inseruit Ioan. Terentius, quum Iunianam editionem sequu-
 tus textum Iobi Græcum σιχηρῶς ederet: *Scriptus est autem li-*
ber, ne sis nescius, literis grandioribus in vetustissimis membranis, si-
ne vlla capitum aut vocum distinctione quod antiquitatis summe
indiciū est, nisi quod in σιχηρῶς, (quales sunt, præter quinque
Canonicos, Sapientie Salomonis & Siracidis libri) σιχοις, sive ver-
sibus, in reliquis vero, paragraphis & sectionibus utatur, & pun-
ctula interdum in superiore parte lineæ, sed rariora adhibeat. Pa-
 tet ex his doctissimorum virorū observationibus, sectiones Codi-
 cis Alexandrini a capitibus nostris diuersas esse, videnturq; eæ certā
ἀναγνωσμάτων veterum rationem nobis exhibere, quod colligi-
 tur ex eodem Iobi libro, vbi primæ quandoque lineæ minio exa-
 rantur, quo antequam adiicerentur numeri, lectiones notatas fuis-
 se suspicor. Complectitur vnaquæque earum aliquot diuisionis no-
 stræ capita, prorsusque similes sunt ἀναγνώμασι ab Origene pro
 concione expositis.

XIII. Vtcunque autem illæ sectiones se habeant, Libros Mo-
 sis in κεφάλαια diuisos olim fuisse plurima sunt, quæ persuadent.
 Ioan. Baptista Cotelerius To. 1. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ
 Apophthegmata Patrum edidit, ubi pag. 370. hæc leguntur: ἀνεγί-
 νωσκεν ὁ ἀδελφὸς εἰς τὴν γένεσιν καὶ ἔρχεται εἰς τὸ κεφάλαιον ὅπου
 λέγει ὁ Ἰακώβ. Ἰωσήφ σὸκ ἔστι, Συμεὼν σὸκ ἔστι, καὶ τὸν Βενιαμὴν
 λήψετε καὶ κατέξετέμεν τὸ γῆρας μὲν λύπης εἰς ἀδελφούς. Habes i-
 niti-

nitium & finem capituli, quod in textu Ebraico tres ultimos versus capituli XLII. modernæ distinctionis occupat. Præterea κεΦάλαιον quoddam Geneseos inculcat Anastasius Sinaita, scriptor sæculi sexti, quanquam ab aliis ad undecimum refertur, Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron, Libro XII. diu hæcenus desiderato, tandemque Londini ante triennium cum Andr. Dacerii versione Latina publicæ luci dato. Ibi enim p. 7. ista reperiuntur: Ὅθεν καὶ ἐν ταύτῃ τελείῃ ἀπόθουσι ἐποιήσαντο τὰ ῥήματα οἱ ἐρμηνεύται, καὶ οἱ τὰ ἕξαπλά συντάξαμενοι, καὶ λοιπὸν ἀρχὴν σίχων ὡς τὰ κεΦαλαίον ὄντος ἀνακολῆθαι, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς λέγοντος καὶ ἕξαπέσειλεν αὐτὸν, τὸ ἔστιν τὸν Ἀδὰμ, κύριος ὁ θεὸς ἐκ τῆς ὡρα δείσης τῆς τευφῆς ἐργάζεσθαι τὴν γῆν ἐξ ἧς ἐλήθη. Quæ Dacerius ita vertit: *Vnde hic integrum & absolutum sensum interpretes fecerunt, & qui Hexapla digessere, reliqua versiculi principium exorsis, quasi capitulum cum superiori minime coniungatur, hoc modo: Et emisit eum (nempe Adam) Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumtus est.* Contendit itaque Anastasius, versum 23. capituli tertii Geneseos (ut hodie distinguimus) cum superiori versu 22. idem constituere capitulum plusquam uno σίχων constans.

XIV. De cæteris libris Mosaicis plura depromere possumus ex Eclogis Græcis a Cotelero Tomi primi Monum. Eccl. Græcæ initio editis, hoc titulo: Ἐκλογή τῶν ὡρῶν τῶν θεῶν Μωϋσῆ δόξαντος νόμους τοῖς Ἰσραηλίταις. Lambecius Libro VI. Commentariorum pag. 50. ait, in Codice Iuridico Græco 14. exstare Eclogem, quam ex titulo & principio ibi recitata eandem cum Coteliana esse cognoscimus: idque de alio etiam Codice Lambecius, laudato Cotelero observat Libro VIII. pag. 468. Nos ex Cotelero indicium κεΦαλαίων dabimus, eaque cum moderna capitum distinctione conferemus, meliora vero cupientes ad Lambecium & ipsas Cæsareæ Bibliothecæ gazas amandabimus. EXODI κεΦάλαιον ξγ'. siue 63. citatur pag. 1. 2. nobis est cap. XXIII. a vers. 1. ad 8. κεΦάλ. ξζ'. 67. pag 14. & 23. nobis cap. XXI. 17. 18. 19. κεΦάλ. ζη'. 68. quindecies in isto libello citatur, & respondet secundum nostram distinctionem capiti XXI. a v. 11. vsque 2d finem, &

capiti

capiti XXII. ab initio vsque ad vers. 27. Reliquorum librorum κε
 Φάλαξ breui tabula exhibebimus:

LEVITICI.	NŪMERORUM.	DEUTERONOMII.
κε Φάλ. pag. cap. vers.	κε Φάλ. pag. cap. vers.	κε Φάλ. pag. cap. vers.
κβ'. 22. 6. VI. 1-4.	κα'. 120. 8. XXX. 21-0.	λδ'. 36. 4. XV. 7-10.
ξ'. 60. 17. XX. 10.	ρβ'. 119. 10. XXVII. 4-11.	μδ'. 44. 26. XVII. 6. 7.
ζ'. 90. 19. 21. XIX. 6-18.	ελδ'. 136. 24. XXXV. 16-29.	νβ'. 52. 26. XIX. 15-20.
ηγ'. 93. 2. sq. XIX. 13-36.	ελζ'. 137. 26. XXXV. 30. 31. 32.	υζ'. 57. 15. XXI. 10-14.
θδ'. 94. 13. 19. XX. 6-27.		υθ'. 59. 13. XXI. 18-21.
ιε'. 95. 21. XXI. 9.		ξα'. 61. 19. XXII. 13. 21.
ει'. 130. 10. XXIV. 13. 16.		ξε'. 65. 17. XXII. 22.
θια'. 111. 25. XXIV. 17. 18. 19.		οη'. 78. 4. 5. XXIII. 19. 20.
		XXIV. 10-13.
θιβ'. 119. 4. XXV. 35. 36. 37.		πζ'. 87. 13. XXIV. 16.
θκ'. 120. 14. XXV. 39-43.		ηγ'. 93. 17. XXV. 11. 12.

Quæ omnia si quis diligentius contulerit, facile rationem κε Φά-
 λαξ μετρίως Biblicæ apud Græcos intelliget, licet fatendum sit,
 sæpe in ista Ecloga alucinatum esse siue auctorem siue librarium,
 nec constet, quo tempore ea fuerit confecta.

XV. Quamobrem meliora nos docebit Codex Lipsiensis,
 quem Ioan. Andr. Bosius, optimus eiusmodi cimeliorum censor,
 Exerc. Philologica ad 2. Timoth. II. cap. IV. num. XI. allegauit.
 Agens enim de variis Aquilæ, Symmachi, aliorumque Græcorum
 interpretum fragmentis hinc inde exstantibus addit: *Proferemus
 aliquando, ει θελήσει ο υπερ υμας, non pauca huius generis, quæ ne-
 que dictæ editiones, neque Drusus habent, ex vetustis admodum
 membranæ bibliothecæ Academicæ Lipsiensis, quæ partem Exodi
 cum Levitico & Numeris, ac principio Deuteronomii, discrepantes
 que lectiones, fragmenta aliarum versionum, variaq; Scholia, ad-
 scriptis etiam sectionum maiorum minorumque, in quas libri singu-
 li dissepuntur, numeris, maiorumque lemmatis siue titulis, conti-
 nent.* Enimvero præmaturum Bosii fatum & hæc & alia ab ipso
 præclare incepta nobis inuidit. Cæterum & mihi data est nuper

2610/1

B3

facul.



facultas fragmenta ista cum aliis præclaris Bibliothecæ Paullinæ Co-
 dicibus inspiciendi. Utraq; sectionum diuisio in margine notatur, &
 maiores litteris maiusculis, minores minusculis scribuntur. Præ-
 terea initio vel fine paginæ idem maioris sectionis numerus certa
 Epigraphe notatur, quæ hypothesin seu argumentum eius comple-
 ctitur. Prima paginarum hodie superstitem incipit a verbis Ex-
 odi τῆς Φωνῆς τοῦ λαοῦ κραζόντων, quæ secundum modernam di-
 stinctionem exstant Cap. XXXII. v. 16. secundum Græcam sectione
 maiori ΟΓ siue LXXIII. Ultima autem sectio Exodi maior est
 ΠΔ πρὸς τῆς ἡμέρας ἐν ἣ ἀνέστηται ἡ σκηνή. Minores eiusdem libri
 sectiones numerantur ρι siue CX. Leuiticus habet sectiones maiores
 ΝΗ i. e. LIIIX. minores ξδ i. e. LXIV. Et notatu digna videtur
 inscriptio elegans, quæ initio paginæ vltimæ Leuitici legitur: οἱ
 ἀριθμοὶ τῶν (pro τῶν) καὶ λέξιν εἰσὶν ξΔ. τῶν κατ' ἐξάιρετον ὀνο-
 μάτων ΝΗ. Porro Ἀριθμοὶ siue Liber Numerorum habet sectio-
 nes maiores ΝΔ. i. e. LIV. minores autem vsque ad sectionem ma-
 iorem nonam expresse tantum signatos ις seu XVI. Ad initium Deu-
 teronomii non nisi duæ sectiones, maiores nescio an minores, ad-
 notantur; prior pertingit vsque ad versum nonum; hinc posterior
 inchoatur, nec quoad sese porrexit, dici potest, quum fragmen-
 ta laudata in his versus 13. verbis finiant: ἀνδρας σοφῶς. Sed ma-
 gis dolemus, totum librum Geneseos & maximam Exodi partem
 periisse. Dubium enim non est, quin in illis describendis accura-
 tam maiorum minorumque sectionum rationem habuerit librari-
 us, qui tamen paullo post initium Numerorum negligentior factus
 nullas exinde minores sectiones amplius notauit.

XVI. Ad Prophetarum scripta pergentes repetere nolumus,
 quæ ex Præfatione Catenæ in Ieremiam num. XI. produximus a
 Croio prolixius illustrata; nec immorabimur distinctioni libro-
 rum Prophetarum in Codice Vaticano, quam a Dorotheo de-
 scriptam innuit Morinus, quando quidem satis constat, Dorothei
 Synopsis supposititiam esse, plurimisque scaterere figmentis, inter
 quæ si illud de Prophetarum capitulis retuleris, non aberrabis, vt-
 pote cuius in propriis eorum Ebraicis scriptis nec vola exstat nec
 vestigium. Sed certiora nobis suppeditat Huetius in Addendis ad
 Notas

Notas Origenianas pag. 129. In vetusto codice Renati Marchali, quem habent Claromontani Patres Societatis Iesu, & quo Prophe-
tae sacri omnes continentur, cum ubique fere adscripti sunt capitula
& versuum numeri, tum maxime ad prophetiam Ezechielis, quae
in capita 56. versus sexcentos supra mille discreta est: sive ex vetustio-
ri exemplari, unde istud descriptum est, diuisionem hanc transtule-
rit librarius, sive ingenio suo prope commentus sit. Verum reperien-
tur forsitan, qui antiquissimam censeant istam distinctionem, opta-
buntq; collationem illius cum homiliis Origenianis in Ieremiam,
vt sciatur, an similitudo quaedam inter vtrumque scriptum occur-
rat. Certe Henr. Valesius in Epistola ad Vsserium de versione
LXX. Interpretum, quae Adnotationibus Eusebianis subiuncta est,
pag. 313. refert, in isto codice ad finem Hieremiae adnotari, descri-
ptum esse Hieremiam ex Codice Abbatis Apollinari, qui ex Hexaplis &
Tetraplis ab ipso Origene, Eusebio & Pamphilo emendatis descri-
ptus fuerat. Veratissimam igitur Prophetiam κεφαλαιομε-
τείαν esse consequitur, eamque confirmat Hesychius, Presbyter
Hierosolymorum, quem saeculi sexti Scriptoribus communiter ac-
censent, in Σπληνῶ τῶν β' προφητῶν καὶ ἡσαΐα, quod cum seor-
sim edidit Hoeschelius an. c1o 10c II. tum octauo Criticorum Bi-
blicorum Tomo Angli inseruerunt. Ita enim Praefationem suam
orditur: Ἔστι μὲν ἀρχαῖον τὸ τῶν θεοφίλοις τὸ σπύδασμα, σι-
χηδὸν ὡς καὶ πολλὰ πρὸς τὴν τῶν μελετωμένων σαφήνειαν, τὰς
προφητείας ἐκτίθεσθαι. Etenim si verum est, quod existimant Va-
lesius Adnot. Euseb. pag. 118. & Huetius Not. Origen. pag. 18. He-
sychium in κεφαλαίοις suis sequutum esse Origenis exemplum, qui
Eusebio teste Hexapla sua diuiserat in cola, id est, in versus seu mem-
bra sensum integrum absolventia, vt interpretatur Valesius: non
absurde aliquis forte existimauerit, distinctionem in Codice Mar-
chali ab ipso Origene profectam esse. Verum de hoc amplius de-
liberandum relinquo eruditis, & satis habeo Hoeschelii sententiam
in Notis ad citata Hesychii verba adscribere: Hinc apparet, illam
in capita & versus seu paragraphos distinctionem non ita recentem
esse, vt quidam sunt arbitrati, cum antiquitus a viris sanctis usur-
patam Hesychius quoque testetur. Ne autem quis vsitatam nobis
κεφα-

κεφαλαιομετρίαν ab Hoeschelio intelligi suspicetur, prohibet eius Dedicatio ad Marquardum Freherum: *Illius κεφάλαια in XII. Prophetas minores, & Esaiam, capitum (aliter quam hodie distinguuntur) non tam Periochas quam exegetes complectuntur.* Porro Hesy chius numerat Osee κεφάλαια XX, Ioëlis X. Amosi XVII, Abdia III, Ionæ IV, Michæ XIII, Naumi V, Abacuc IV, Sophonia VII, Aggæi V, Zachariæ XXXII, Malachiæ X, Esaiæ XXCIIIX. Monet Hoeschelius, ut cum his conferantur illa Eusebii (κεφάλαια) quæ Procopio Parisiis edito in Esaiam sunt præfixa. Ediderat enim an. clō 13 LXXX. Ioannes Curterius Epitomen Procopianam, eique præposuerat Eusebii Pamphili fragmenta de vitis Prophetarum ex Codice MS, vetustissimo Cardinalis Rupifucaldi, teste Philippo Labbeo To, I. Dissertationis Historiæ de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 307. 308. At exemplar istud ex eodem Codice Apollinarii, quo supra Marchalianum diximus, descriptum esse docet Morinus lib. I. Exercit. Bibl. Exerc. IX, c. II. repetuntq; Angli Tomo VI. Bibliorum Polyglottorum, in Collatione variarum Edit, τὸν δ pag. 109. Operæ igitur pretium faceret, qui antiquissima hæc MSta accuratiori studio euolueret ac Origenianam κεφαλαιομετρίαν nos edoceret. Deniq; non prætereundam censeo Richardi Simonii obseruationem, qui Lib. I, Historiæ Criticæ veteris Testamenti cap. XXIIIX. Hesy chii κεφάλαια cum Iudæorum diuisionibus confert, ut apud illum legere potest harum rerum curiosus.

XVII. Suppetunt paria de reliquis veteris Testamenti libris, quando Aldus Manutius in editione versionis τὸν δ Venera libros Esræ in 109. capita, Nehemiæ in 80. Estheræ in 55. distinctos exhibuit: item quod Sixtus Senensis Lib. I. Bibliothecæ Sanctæ pag. 20. obseruat, *Græcos librum Tobia in capita non gēta tria diuidere;* sed tempus est, ut ad nouum fœdus accedamus, & qua ratione Græci id in κεφάλαια distinxerint, breuiter commemoremus. Occasio primaque origo ad eos referenda videtur, qui Harmoniam quatuor Euangeliorum adornarunt. Quo faciunt verba Ioan. Georg. Dorschei in Oratione inaugurali, quæ Theologiæ Zachariæ præmittitur: *Ammonius Alexandrinus, Tatianus & Eusebius Cæsariensis*

*sariensis ita diuiserunt quatuor Euangelia, ut Matthæo trecenta
 quinquaginta quinque, Marco ducenta triginta quinque: Luca
 trecenta quadraginta tria, Ioanni ducenta triginta duo tribue-
 rent, sed in eum cum primis finem, ut consentientia Euangelistarum
 verba & suauissimam rerum consignatarum concordiam eo felicius
 ostenderent. Exstant hodiernum illæ Harmoniæ, sed ordine in-
 uerso, quæ Ammonii est, Tatiano, & quæ Tatiani, Ammonio sup-
 ponitur, errore ex Victoris Capuani quondam Episcopi ἀβλεψία
 originem trahente. Eusebii autem Canones X. de Consonantia
 Euangeliorum ad Carpianum quamplurimis Noui Foederis Co-
 dicibus adscribi solitos primus Græce publicauit Robertus Ste-
 phanus, cum Nouo Testamento anno c1515 L. quem filius
 Henricus sequutus eleganti præfatione vsus rationemque eorum
 monstrauit in minori Noui Testamenti editione an. c1515c IV.
 Sed habent Græci aliam quoque Distinctionem in τίτλος & κε-
 Φάλαια, quæ tum in Codicibus MSS. reperitur, tum exinde ab
 Oecumenio, Heinsio, Erasmo Schmidio, Ioachimo Camerario &
 similibus Noui foederis Commentatoribus publicata est. Eam
 ita describit Suidas ex versione Hieron. Wolffii: *Caput & titulus
 differunt. At Matthæus habet titulos 68. capita 355. Marcus ti-
 tulos 48. capita * 36. Lucas titulos 83. capita 348. Ioannes titulos
 18. capita 232.* Asteriscus ab interprete adiectus indicat, locum
 Suidæ mancum & corruptum esse; quod non sine causa censere
 Casaubonum & Serarium iudicat Caspar Brochmandus Prolegom.
 Commentar. in Epist. Iacobi pag. 6. Sixtus Senensis Lib. III. Bibli-
 othecæ restituit 235. Henricus autem Valesius Annot. Euseb. pag. 3.
*Pro 36. corrigendū est 233. (vel potius 236.) ut aperte colligitur ex Ca-
 nonibus Euangeliorum, quos Eusebius noster composuit.* Itaque se-
 cundum Eusebianos numeros κεΦάλαια Suidæ sunt ordinanda.
 Cæterum Angli in Præmonitione ad Lectorem, To. v. Bibliorum
 Polyglottorum, qui noui foederis libros continet, præmissa, Eu-
 thymium & Oecumenium ac e recentioribus Robertum Step-
 hanum sequuti κεΦάλαια vocant, quæ Suidas cum aliis τίτλος
 nuncupat: *ἡ μικρὰς* vero, seu *minora segmenta*, quæ apud illos
 κεΦάλαια audiunt. In MSto Alexandrino (ut in eodem Poly-
 glotto.*

C

glotto.



glottorum Tomo videre est) titulis Euangelii Marci talis ad-
ponitur inscriptio: Τῆ κατὰ Μάρκον Εὐαγγελίῳ αἰ ᾠδοχάι. V-
bi notandum, *periochas* vocari, quæ hodie eruditus τίτλοι aut
κεΦάλαα sunt, inter quos Waltonus in descriptione illius Codicis
num. XII. citata scribit: *Novum Testamentum iisdem literis &
eodem modo scriptum est, Evangelia in κεΦάλαα distincta, quæ
singulis præfiguntur: ipsa etiam κεΦάλαα in minores sectiones
sive εἴχηε diuisa, quæ secundum Canones Eusebianos minio in
margine distinctæ.* Quare si Codex ille tantæ est antiquitatis,
quantæ a plerisque eruditus æstimatur, diuisionem in τίτληε cir-
ca Concilii Nicæni primi tempora iamtum receptam fuisse con-
sequitur. Porro in præstantioribus MStis eodem plane numero ordi-
neque tituli reperiuntur, ut egregiis exemplis probarunt Ioan. Sel-
denus Lib. II. de Synedr. Ebraeorum cap. i. n. 4. & Thomas Mare-
schallus Obseruat. in Euangelia Anglo-Saxonica pag. 498. Sed
cætera noui foederis scripta nõ in omnibus codicibus in κεΦάλαα
diuisa sunt. Exemplum præbet Alexandrinus, in quõ ea omnia desunt,
monentibus Anglis. Alii epistolas saltem Catholicas ea ratione
dispescunt, vt in Bibliotheca Casarea Codices MSti Græci qua-
tuor, a Lambecio Libro III. Commentariorum recensiti, cuius
verba ex pag. 58. 59. adferemus de Codice XXXVII, membranaceo
antiquo & optimæ notæ, utpote secundum supputationem CPnam
An. 6839. hoc est A. C. 1331. scripto: *Continentur eo Acta Aposto-
lorum & Epistola S. Iacobi, S. Petri, S. Ioannis, S. Iudæ & S. Pauli,
cum iisdem Hypothesibus siue Argumentis & Lemmatibus Capitum,
quæ iam memoratis Epistolis in tribus proxime præcedentibus Codic-
ibus MStis, nempe XXXIV. XXXV. & XXXVI. præfixa sunt. Val-
de autem notabile est, in solo hoc Codice trigesimo septimo ante E-
pistolam S. Iacobi exstare anonymi cuiusdam peruetusti Auctoris
Proœmium siue Epistolam dedicatorem ad S. Athanasium Archi-
episcopum Alexandrinum, qua clare atque expresse testatur, se
Hypotheses illas & Lemmata Capitum Epistolarum Catholicarum
fraterno ipsius iussu composuisse. Auctor Proœmii in margine
Lambecio videretur esse Adelphius Episcopus & Confessor, ad quem
exstat S. Athanasii Epistola contra Arianos, vel Epictetus Episcopus
Corin.*

Corinthiorum, ad quem itidem exstat Epistola S. Athanasii, in cuius principio eum vocat ἀγαπητὸν ἀδελφὸν καὶ ποθεινότατον συλλειτουργόν, h. e. dilectum fratrem & desideratissimum in sacris Collegam. Varia ex isto Proœmio exhibet Lambecius, sed ad nostrum præsertim scopum spectant ultima verba, quibus idem Proœmium clauditur hoc modo: Δέξαι τοιγαρῶν, δέξαι παρ' ἡμῶν ἀσμελῶς τῶν σῶν ἑπιστολάτων τὴν πρᾶγματείαν εὐχῆ τῆ ὑπὲρ ἡμῶν ἡμᾶς τῆς παιδείας διηκεκῶς ἀμειβόμεθα. Ἐγὼ δὲ σοιχηδὸν τὰς καθολικὰς καθεξῆς ἑπιστολάς ἀναγνώσομαι, τὴν τῶν κεφαλαίων ἐκθεσὶν ὁμῶν καὶ θείων μαρτυριῶν μετρίως ἐυθένο δε ποιήσω. Subiiciemus κεφαλαίων numerum, quæ Actibus Apostolicis & Epistolis præmittuntur apud Robertum Stephanum, & in Bibliis Polyglottis, ita ut numero græco respondeat latinus. Actibus igitur tribuuntur κεφάλαια M'.XL. Epistolæ ad Romanos IO'. XIX. Priori ad Corinthios Θ'. IX. Posteriori IA'. XI. Epistolæ ad Galatas IB'. XII. ad Ephesios I'. X. ad Philippenses Z'. VII. ad Colossenses I'. X. Priori ad Thessalonicenses Z'. VII. Posteriori 5'. VI. Priori ad Timotheum IH'. XII. Posteriori Θ'. IX. Epistolæ ad Titum 5'. VI. ad Philemonem B'. II. ad Ebræos KB'. XXII. Epistolæ Iacobi 5'. VI. Priori Petri H'. VIII. Posteriori Δ'. IV. Ioannis primæ Z'. VII. Secundæ & tertiæ nullus præscribitur numerus, argumentum tamen vtriusque breuiter indicatur. Epistolæ Iudæ κεφάλαια sunt Δ'. IV. Apocalypseos vero nulla, nec apud Stephanum nec in Polyglottis: vnde patet, capitula LXXII. quæ libro isti tribuit Heinsius in Exercitationibus ex Commentariis Andreæ & Arethæ Cæsariensium Episcoporum desumpta, non fuisse publico Ecclesiæ Græcæ vsu recepta, quæ & sibi non adeo placere tacite innuit Heinsius in Aristarcho pag. 822.

XII. Qui hæcenus dicta cum Doctorum Græcorum commentationibus contulerit, facile rationem ἀναγνωσμάτων in Ecclesia Græca quotidianorū animo comprehendet, ac obseruabit, ea nunc plura κεφάλαια complexa, nunc vno saltem alteroue constitisse. Nec aberrauerit forsitan, qui de illis acceperit miniaturas Codicis Alexandrini: præterea sectiones maiores Codicis Lipsiensis in libris Mosaicis; in Prophetis obscuriuscula sectionum indicia

dicia Codicis Vaticani; in quatuor Euangeliis titulos supra descri-
 ptos, & sic in cæteris. Nobis non licet hæc amplius persequi, sed
 alia Græcorum ἀναγνώσματα, fixa nimirum, perpendamus, quæ
 apud eos diebus Dominicis festisque pro concione prælegi & ex-
 plicari hæctenus consueverunt. Equidem de prioribus adsentior
 Celeberrimo Academiae nostræ Theologo, Ioan. Frid. Mayero,
 Eclog. Euangel. Domin. I. Advent. Chrysoptomi iamtum ætate
 certas Euangeliorum pericopas obtinuisse suspicanti ex eius Ho-
 mil. XI. in Ioann: κατὰ μίαν σαββάτων, ἢ κατὰ σάββατον, τὴν
 μέλλουσιν ἐν ὑμῖν ἀναγνώσκειν τῶν εὐαγγελίων περικοπὴν ταύ-
 την πρὸς τῶν τῶν ἡμερῶν μετὰ χεῖρας λαμβάνων ἕκαστος, οἱ
 κοὶ κατὰ μὲν ἀναγνώσκοντες. Certe alibi quoque Chrysopto-
 mus fixa ἀναγνώσματα videtur indicare, Homil. LVII. in Ioan.
 εἰ γὰρ ἡς ἀκρίβως ἐνταῦθα εἰσέρχοιτο, καὶ οἱ μὴ ἀναγ-
 νώσκοι, προσέχοι δὲ τοῖς ἐνταῦθα λεγομένοις, δεκῆ καὶ ἐν αὐτοῖς
 εἰς εἰς ἐμπειρίαν αὐτὸν κατὰσῆσαι πολλὴν. ἔ γὰρ νῦν μὲν ταύ-
 τας, αὐτοὺς δὲ ἑτέρας ἀναγνώσκουμι γραφάς, ἀλλ' αἰεὶ τὰς
 αὐτὰς καὶ ἀπαπαντός. Neminem autem antiquitatis Ecclesia-
 sticæ adeo imperitum censeo, qui existimet, pericopas Dominica-
 les secundum seriem dispositionemque apud nos vulgo receptam
 Chrysoptomum intellexisse: quod a laudato etiam Mayero re-
 jectum tantumque a veritate abest, vt potius absque vlla dubitati-
 one mihi asseuerare liceat, nec a Chrysoptomo, nec ab vlllo ex cæ-
 teris Græcis Patribus eiusdem sequentiumque ætatum alias Perico-
 pas aliove ordine Dominicis diebus explicata esse, quam hodiernum
 in Græca Ecclesia fieri videmus. Pertinet huc Leonis Allatii Dia-
 triba de Dominicis & Hebdomadibus Græcorum, quæ Perpetuæ
 Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis Consensioni ab ipso confictæ
 subiuncta est, & partim prolixiori sermone, partim ὡς ἐν τῷ πῶ Do-
 minicarum Græcarum nomina & ἀναγνώσματα Euangelica sin-
 gulis earum exponi solita exhibet. Ad illam se conferat, qui sci-
 re auet, quæ ab antiquis temporibus in Ecclesiis Græcis obtinuerit
 consuetudo. Sane non esse eam adeo recentem, vt nonnulli sibi
 imaginantur, & Allatius probauit & ex Athanasii etiam operibus
 potest confirmari. In eorum enim editione Parisiensi an. cto lxx

XXVII. septem Homiliae reperiuntur, quarum quartam & quintam maxime genuinam censet editor, Lucas Holstenius. Textus in illis explicatos hodiernum adhibent Graeci feria quinta magnae hebdomadis & Dominica recens illuminatorum. Equidem Labbeus To. I. pag. 183. obseruat, harum posteriorem *in quibusdam codicibus adscriptam reperiri Basilio Seleuciensi Episcopo*; sed etiam si huic tribuatur auctori, ad quintum tamen saeculum referenda esset. Sexto istorum sermonum, quem tamen Athanasio non conuenire ait Holstenius, explicatur pericopa Ioannis in coecum a nativitate, diserteque Dominicae Diei attribuitur, quam non esse diuersam a sexta post Pascha Dominica Graecorum, quilibet iudicabit, qui modernam eorum consuetudinem habet perspectam. Quam describemus verbis Allatii num. XXXI. in illorum gratiam, qui perpetuo eius consensu destituuntur. *Euangelia itaque hac ratione leguntur: A prima die Paschatis usque ad Pentecosten legitur Euangelium Ioannis: a Dominica presente omnium Sanctorum usque ad mensem Septembrem, Matthaei: a nouo anno, nempe a Dominica post Exaltationem sanctae crucis usque ad Tyrophagum Dominicam, Lucae: a prima hebdomade quadragesimalis ieiunii ad ipsam Resurrectionis diem, in Sabbatis & Dominicis, Marci. Idque ut exactius intelligatur, Ioannis Euangelii textus vniversus septem integris hebdomadibus legitur, quae a Dominica Paschatis, tribus diebus exceptis, numerantur. Matthaei a Feria secunda post Dominicam Pentecostes ad Parasceuen, subsequenter festum diem Exaltationis sanctae Crucis, absoluiturque Hebdomadibus decem & septem. Harum vndecim singulis diebus Matthaei Euangelium legunt: a duodecima, quinque diebus Hebdomadis, Marci Euangelium recitatur. Sabbata & Dominicos lectione sua Matthaeus occupat, usque ad decimam septimam; & decima septima, si illa infra Pascha fuerit, Mattheum habet; si ultra, nequaquam, sed aliud ex aliis legitur, & Chanaanæ est, Lucae Euangelium inchoatur a secunda Feria post Dominicam Exaltationis, legiturque integris Hebdomadibus duodecim: ab initio vero decimae tertiae, diebus Ferialibus, Marci Euangelium recitatur; Sabbatis & Dominicis, Lucae. Marci tandem pars potissima*
inter

inter Mattheum & Lucam absumitur; quod reliquum est, Quadragesima Sabbatis & Dominicis recitatur.

XIX. Haftenus de Pericopis Græcorum Dominicalibus; superest, vt eas quoque consideremus, quæ diebus festis apud illos in vsu sunt. Non puto monumentum ea de re inueniri Canone Paschali Hippolyti antiquius, de quo pauca censeo præmonenda. Romæ anno c131311, in æde Laurentiana ad Urbem, effossa est statua marmorea, sedens in Cathedra vtrisque Græcis literis inscripta, & Canonem Paschalem duobus laterculis constantem exhibens. Eruditi statim ex certis indiciis collegerunt, esse Hippolyti Episcopi Portus Romani & Statuam & Canonem, censetque Henricus Valesius Annot. Euseb. pag. 123. *Canonem hunc partem duntaxat esse libri, quem Hippolytus conscripserat de Pascha.* Editus est primum Græce a Iosepho Scaligero Lugduni Batavorum an. c131325, cum Commentario, indeque tum libris ipsius de Emendatione Temporum insertus, tum a Iano Grutero in Thesaurum Inscriptionem relatus pag. CXL. Latine vero editus notisque illustratus ab Ægidio Bucherio in Commentario de Doctrina Temporum ad Victorii Aquitani Paschalem Canonem, vt Valesius & Labbeus adnotarunt. Porro Cardinalis Bona Lib. II. Rerum Liturg. cap. VI. monet, *sedem istam lapideam in ingressu Vaticane Bibliothecæ collocatam esse; vnde intelligimus, quare Ezechiel Spanhemius Dissert. II. de Præstantia & Vsu Numismatum pag. 686. Hippolyti testimonium adhibens citet Veterem tabulam Paschalem Bibliothecæ Vaticane.* Cæterum ex Hippolyto Græcæ Ecclesiæ consuetudinem vt probemus, non lingua saltem nos mouet, qua scripsit opuscula sua, sed quoniam Græcis quoque notior est quam Latinis. Nolumus enim prolixius inquirere in nobilem controuersiam de Episcopatu Hippolyti, quam nuper latisime diduxit Stephanus le Moyne in Diatriba de Hippolyto Prolegomenis Tomi I. Variorum Sacrorum inserta. Proposuit is septem coniecturas, quarum vltima & præcipua concedit quidem Hippolytum fuisse Portus Romani Episcopum, vt communiter veteres tradiderunt, *non tamen portus Ostiensis, Portus ad Littus Maris Tyrrheni, ad ostia Tiberis.*

Sed

Sed Portus Romani in Arabia. Atenim vero non probavit Clarissimus vir ex veterum monumentis, portum illum Arabiae Romanum esse appellatum, quanquam multa de Arabico eius nomine, *Adan*, differuit, deinde ipsi quoque incumbit, quod ab alterius sententiae auctoribus flagitauerat, ut ostendat, tempore Hippolyti Episcopatum fuisse illum in Arabia portum. Quod nunquam praestabit, si plenam fidem adhibuerit Philostorgii a seipso citati Lib. III. mem. VII. narrationi: inde enim consequitur, Hippolyti aetate nullos in ea regione fuisse Christianos, quos demum Constantio Imp. fauente Theophilus Indus conuerterit, & in illo Romanorum portu Ecclesiam exstruxerit. Quare cum Cotelerio in Notis ad To. II. Monum. Eccl. Graecae p. 639. 640. statuo, *Hippolytum vere alius Portuensem (ad ostia Tiberis) alius falso vel inscienter Romanum dici Episcopum.* Nec aliter sentiet, qui morem doctiorum Graecorum, Hippolytum Ἐπίσκοπον πύργου, ἢ γυγυῶν λιμένος Ῥώμης cum Anastasio Apocryphario in Collectaneis Anastasii Bibliothecarii a Sirmondo editis nuncupantium, & rationem Episcopatum apud primos Christianos, pristinamque & plane stupendam urbis Romae magnitudinem ab Isaaco Vossio in Observationibus detectam probe considerauerit. Nec incongrua est Cotelerii coniectura, qua Hippolytum a Gelasio Papa contra Eutychem ex male intellecto Eusebii loco pro Arabum Metropolis Episcopo habitum esse ostendit.

XX. Qui Chronologica in Canone Hippolyti explicata desiderant, post Scaligerum & Bucherium adeant Dionysium Petauium Lib. II. de Doctrina Temporum cap. LX. & Lib. IV. cap. IV. Nos de iis tantum solliciti erimus, quae in cellulis areae continentur & ad ἀναγνώσματα Paschalia faciunt, in consilium adhibitori post Scaligerum Moynii notas ad Hippolyti Sermonem To. II. Variorum Sac. exstantes. Destituimur autem Bucherii Opere & Iacobi Gothofredi Commentario, quam is Disfertat. in Philostorg. pag. 117. promisit, an autem ediderit, non habeo compertum. Enimvero prima statim lectio ΓΕΝΕΣΙΩΝ XI. scrupulum alicui iniicere posset. Non enim videtur conueniens esse, ut legatur Historia de generatione Christi Iesu, quam praese ferre
 Graeca

Græca verba Scaliger Moyniusque volunt, eo festo, quod ad re-
 surrectionis eius solennem recordationem institutum est. Con-
 tendit quidem Moynius, id *isti tempori aptum & congruum vi-*
deri, quum Christus sit Pascha nostrum & agnus ille Dei qui tol-
lit peccata mundi. Sed nescio an morosioribus temporum æsti-
 matoribus ea responsio ex asse satisfaciat. Elegantissima sunt ta-
 men cætera apud Hippolytū ἀναγνώσματα, ostenduntque primo-
 rum temporum Christianos omnium Paschatum ab Israelitis
 celebratorum, quæ in Veteri quidem foedere adnotantur, publi-
 cam hac festo mentionem instituisse. Nam per Εξοδον pri-
 mum eorum Pascha in Ægypto celebratum Exod. XII. indica-
 tur; per verba ἐν ἐρήμῳ alterum Numerorum IX. descriptum.
 Per Ἰησοῦν non Iesus Christus, ut voluit Scaliger, sed Iesus seu Io-
 sua Dux Israelitarum intelligendus, nam cap. v. libri eius reperi-
 tur Pascha a populo post ingressum terræ sanctæ celebratum.
 Εξελίας Pascha Hiskiaë siue Ezechiaë, Chr. XXX. & Ἰωσίας Pascha
 Iosiaë 2. Reg. XX. & 2. Chron. XXXV. significant. Εζδραῖς Scali-
 gero aut Pascha primo Esræ libro c. VI. commemoratum, aut o-
 rationem Nehemiaë conuenientem tempori ieiunii capite IX. li-
 bri eius, quem Ecclesia secundum Esræ vocet, indicare videtur.
 Moynius præfert prius, & suspicatur, Hippolyti ætate lectionem
 istam non quinque tantum versibus a decimo nono capitis sexti
 Esræ ad finem eius decurrentibus constitisse, sed additamentis
 quibusdam creuisse, iis nimirum, quæ a Judæis expuncta esse
 conqueritur Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone. Præ-
 terea idem recte animaduertit, non esse hanc Iudæorum corru-
 ptionem de textu Ebraico intelligendam, sed ad versiones Græ-
 cas restringendam; quarum illud cum Morino facit Isaacus Vos-
 sius in libro de Septuaginta Interpretibus & in alio de Oraculis
 Sibyllinis. Non vacat nec expedit insignem istam controuer-
 siam, quæ inter Vossium & Richardum Simonium maxima ani-
 morum contentione hodie agitur, prolixius nunc excutere;
 sufficiat citasse summi nostri Calouii Criticum sacrum, a pag.
 396. prioris editionis aduersus Morinum ex aliorum Pontifici-
 orum adsertis pugnantem. Nolim tamen Croio adsentiri, qui
 cap.

cap. XXIIIX. Observationum, arbitratur, hanc esse piam fraudem Iustini Martyris & Lactantii, qui Iustinum ducem sequitur, qui locum hunc, ut pleraque omnia Sibyllarum Oracula & plerasque omnes Mercurii sententias ad doctrinæ Christianæ probationem sinxerint, & in lucem ediderint. Atqui fraudes illæ piæ priscorum Patrum cum capitis periculo erant coniunctæ, si a Gentilibus testimonia præcipue Sibyllarum dubio procul cognita habentibus ἐπιταύ- & ὁμοίως falsitatis conuicti fuissent. Quare non possum accedere Blondello Oracula Sibyllina a Christianis paullo ante Iustinum conficta esse contendenti, nec Isaaci Vossii opinio aliis arridet, quasi Iudæi eorundem sint auctores. Vossium enim refutauit Antonius van Dalen Dissert. I. de Oraculis; Blondello autem non infeliciter sese cum aliis opposuit Guil. Beuereginus Lib. I. Vindic. Can. Apost. cap. XIV. Itaque non opus est, ut Croii de iis sententiæ refellendæ immoremur, aut in eiusmodi rebus occupemur, quæ tantopere ab argumento nostro recedunt. Lectoris potius iudicio relinquimus aliam coniecturam Moynii de loco Esræ tributo, quasi nonnulla margini apposita in textum tandem Græcum irrepserint, & Paraphrasi aucta, tandemque ut verba ipsius Esræ scripta & non Iustini Martyris solum ac Hippolyti, sed Lactantii etiam tempore, apud quem lib. IV. Institut. cap. XIIIX. pariter reperiuntur, in Ecclesia lecta fuerint. Vt cunque autem ea se habeat, satis apposite apud Hippolytum alia lectio adfertur, πείθος ἡμεῖς, ut recordarentur mortis Agni nostri Paschalis; eique illustrandæ Δαυιήλ sive caput nonum Danielis eleganter coniungi Scaliger ac Moynius censent.

XXI. Mirari subit, qua ratione factum sit, ut Historiam resurrectionis Christi ab Euangelistis descriptam in laterculo suo plane prætereat Hippolytus, quam præcipue inculcari populo oportet festo Paschatos, utpote quod ipsos Apostolos in latissimam resurrectionis Dominicæ commemorationem instituisse veterum monumenta apud Eusebium aliosque docent, nullumque dubium est, quin ab iisdem manarit consuetudo publice hoc festo prælegendi suprascriptam historiam. At enim uero, siue Hippolytus eam omiserit, quod vulgo satis cognita esset eorum necessaria lectio,

D

sive

siue in sculptorem paullo negligentiore culpa omnis sit
 transferenda, siue olim suo loco in cellulis laterculi posita fuerint
 ἀναγνώσματα Euangelica, hodie autem litterarum ductibus ob
 nimiam monumenti vetustatem plane deperditis cognosci amplius
 nequeant; certissimum est, in Græca Ecclesia Euangelicam resur-
 rectionis historiam quotannis festo Paschatis prælectam publice &
 expositam fuisse. Quod curiosi Lectores ex Patrum homiliis fa-
 cile intelligent. Nobis non suppetit otium aut occasio eas omnes
 percurrendi, quarum sane non pauca pro more Doctoribus olim Ec-
 clesiasticis communiter recepto nec eruditis ignoto nullum tex-
 tum certum exponunt, vt adeo cætera quoque Patrum scripta sint
 peruoluenda. Adscribemus tamen memorabilem Eusebii locum de
 Læctionibus in hebdomade magna proxime Paschalem festiuitatem
 præcedente publice receptis, lib. II. Hist. Eccles. cap. XVII. Quan-
 quam enim frustra de Therapeutarum Philonis Christianismo solli-
 citus est, de sua tamen ætate congruum præbet testimonium: τί δὲ
 τῆς τοῦ Ἰησοῦ ἐπιλέγειν τὰς ἐπὶ ταυτὸν συνόδους, καὶ τὰς ἰδίαι μὲν ἀνδρῶν,
 ἰδίαι δὲ γυναικῶν ἐν ταυτῷ Διατριβᾷ, καὶ τὰς ἐξ ἕθους εἰσέτι καὶ
 νῦν πρὸς ἡμῶν ἐπιτελεσμένας ἀσκήσεις· αἱ Διαφερόντως καὶ τὴν
 τῆς σωτηρίας πάθος ἐορτὴν, ἐν ἀσιλίαις καὶ Διανυκτερεύσεσιν, πρὸς
 οὐραῖς τε τῶν θείων λόγων ἐκτελεῖν εἰώθαμεν. Postrema ita ver-
 tit Valesius: *Et sacrorum librorum læctioni impensius vacare con-
 sueuimus.* Quibus subiiciam recentiorum Græcorum consuetu-
 dinem, vndecim Euangelia Paschalia numerantium, quorum me-
 minit Theophanes Ceraueus, Tauromenitanus in Sicilia Episco-
 pus Græcus, homilia XXIIIX. earum quas Parisiis an. clō Ioc XLIV.
 edidit Franciscus Scorsus, qui tamen male Theophanem ad confi-
 nia sæculi noni & decimi retulit, non dissentiente Schelstratio
 Concil. Antioch. pag. 264. 265. quum adulto demum sæculo XII.
 vixerit, vt aduersus Scorsum euicerunt Allatius Diatriba de Sime-
 onum scriptis a pag. 60. & Lambecius Biblioth. Vindobon. Lib.
 IV. a pag. 17. & Lib. V. a pagina 52. De Græcorum autem Euan-
 geliis adscribam verba Scorsi, prout leguntur ap. Matth. Zimmer-
 mannum in Analectis pag. 120. 121. *Hæc vndecim Euangelia, ex
 uniuersa historia Resurrectionis Christi, prout a 4. simul Euan geli-
 stis*

stis comprehenduntur, deducta leguntur in Græcorum officiis ad matutinum, & ἀναστάσιμα ἐσθινὰ appellata, & quidem hoc ritu, quem ab uno ex Græcis sacerdotibus suum ritum sciente & exercente traditum accepi, ut per totum annum singula in singulis matutinis diei Dominica ordine perlegantur, a primo incipiendo usque ad undecimum, eoque finito ad primum recurratur in orbem. Notatum tamen inueni in Pentecostario Græcorum, hunc ordinem aliquando submutari. Paulo post noui Anthologii auctoritate suffultus originem eorum refert ad Leonem Sapientem, qui ante octingentos fere annos Imperator Græco-Romanus fuit.

XXII. Cæterum de omnibus festis Græcæ Ecclesiæ præcipue obseruari meretur, eadem plerunq; ἀναγνώσματα prælecta & pro concione explicata fuisse vetustissimis temporibus, quæ hodiernum & apud nos & apud illos in usu sunt. Quod verum esse omnes fatebuntur, quibus volupe est, Græcorum Patrum Opera perlegere atque conferre. Sic inter Athanasii opera initio Tomi secundî aperitur λόγος εἰς τὴν ἀνάληψιν τῆς κυρίας ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, a nemine quod sciam in dubium vocatus, quo Historiam Ascensionis Actuum Apost. i. descriptam interpretatur. Eodem Tomo inter homilias ab Holstenio adiectas prima est in censum siue descriptionem B. Virginis Mariæ. Hanc censet quidem maxime interpolatam Holstenius, sed nihil tamen impedire videtur, quo minus Athanasii temporibus congruat textus Lucæ II. festo Natiuitatis legi solitus. Hæc enim verba ipsius explicationi præmittuntur p. 646. Ἦκουες δευτέρως τῶν Ἐυαγγελιστῶν λέγοντος; quæ deinde repetuntur pag. 651. Erit forte, qui ex Epiphanio & Cassiano obiiciat, in Athanasii Ecclesia pro antiquissimo Ecclesiæ Orientalis more, qui Chrysostomi demum ætate mutatus est, festum Natiuitatis & Epiphaniæ Domini simul ac die VI. Ianuarii celebratum fuisse, putetque prælectum illud Euangelium, quod Basiliius Magnus sermone εἰς τὴν ἀγίαν τῆς χριστοῦ γέννησιν explicauit, & Matthæi I. a v. 18. ad finem capitis, & cap. II. a vers. 1. ad 12. a nobis quærendum Historiam conceptionis & Natiuitatis Christi aduentusque Magorum complectitur. At uero fidem omnem superare videtur, specialem plenamque Natiuitatis Christi historiam a Luca descri-

ptam in Orientalibus Ecclesiis hoc festo iacuisse neglectam, nec publice prælectam & expositam, quando imprimis non vnum, sed plures conventus fideles agere consueverunt.

XXIII. Sed hæc prolixius persequi instituti nostri ratio non permittit. Ad specialissimum igitur Lectionis Sacrae tempus pergamus, ἀναγνώσματα ad formam modernæ distinctionis Biblicæ in Lectorum gratiam recensituri. Equidem primo loco collocamus Lektionen, quæ apud Græcos legebantur, quum Catechumenis Symbolum tradebant. Referuntur eæ ex Cyrilli Hierosolymitani octodecim Catechesibus Φωτισμένων (quo nomine perfectiores Catechumeni apud Græcos veniunt) a Celeberrimo Argentiniensium Theologo, Baltasare Bebelio, Antiq. Eccles. Euangel. Sæc. IV. Parte II. pag. 723. *Nam in Catechesi I. Lectio erat ex Esa. I. 16. lauamini &c. In II. ex Ezech. XVIII. 20. iustitia iusti &c. In III. ex Rom. VI. 3. an ignoratis &c. In IV. ex Col. II. 8. videte &c. In V. ex Ebr. XI. 1. Est autem fides &c. & sic deinceps; de quibus ipsæ Catecheses conferri merentur: nam in cuiuslibet inscriptione ἀνάγνωσις eius indicatur. Aliæ legebantur in institutione Neophytorum, seu νεοφωτιστων vt ex eiusdem Cyrilli Catechesibus Mystagogicis probat Bebelius pag. 852. Erant enim *Textus ex S. literis, accommodi mysterio Baptismi, & officio Baptizatorum, seu Neophytorum, e. g. 1. Pet. V. 8. & seq. Sobrii estote & vigilate &c. Rom. VI. 3. seq. an ignoratis, quod quicumque baptizati estis &c. 1. Ioan. II. 20. Et vos vñctionem Dei habetis, & scitis omnia &c. 1. Cor. XI. 23. Ego enim accepi a Domino &c. 1. Pet. II. 1. itaque abicientes omnem immunditiam &c.* Quarum ἀναγνώσεων notationem in Græcis editionibus consulere expedit, primæ præsertim, his verbis notatæ: *Ανάγνωσις ἐκ τῆς πέτρας καθολικῆς, ἀπὸ τῆς νήψατος, γρηγορήσατε, ἕως τέλους τῆς Ἰησοῦ λῆς.* Porro ad sextum sæculum refertur Liber Pœnitentialis a Ioanne Morino in Appendice Tomi de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ editus, quem vulgo quidem Ioanni Νησευτῆ siue Ieiunatori adscribunt, alii autem subdubitant cum Clarissimo Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, Emanuele a Schelstrate Concil. Antioch. pag. 258. idque pridem Græcos fecisse patet ex Ἀποδείξει cuiusdam anonymi in Bibliotheca*

ca Casarea ὅτι τὸ λεγόμενον τὰ Νηστευτὰ Νομοκάνονον οὐκ ἔστι τὰ
 Νηστευτὰ, ἀλλὰ γέροντος πινος, γενόμενον πρὸς τὴν αὐτὴν μαθητὴν.
 Vide plura exinde describentem Lambecium Lib. II. X. Commenta-
 riorum pag. 449. 450. Quisquis autem illius libri auctor fuerit,
 reconciliationi Pœnitentium duas adsignat lectiones, quarum pri-
 or Ἀνάγνωσις πρὸς Φήτην Ἰεζεχιήλ versu 21. Capituli XIX. constat;
 posterior Ἐυαγγέλιον κτ' Λυκαῖν, pericopen Euangelicam in nos-
 tris hodie Ecclesiis Dominica III. post Trinitatis festum vsitatam
 complectitur, cap. XV. a v. 1. ad 11. Quid vero in Sacro Bapti-
 smatis actu legant Græci, ex eorum Euchologio, quod Iacobus Go-
 ar Parisiis an. clō Ibc XLVII. edidit pag. 356. cognoscitur. Primo
 enim legitur πρὸς Ῥωμαίους Ἐπιστολῆς Παύλου τὸ ἀνάγνωσμα ex
 cap. VI. a versu 3. ad 12. deinde Ἐυαγγέλιον κτ' Ματθαῖον cap.
 XXII. a v. 16. ad finem libri totius. In eodem Rituali reperitur
 Ἀκολουθία τῆς σεφανώματ'ς, *Officium Coronationis Nuptiarum*, v-
 bi pag. 390. 391. & 395. præscribuntur Lectiones ex Ephes. V. a v.
 22. & Ioan. II. de Nuptiis in Cana Galilæa, quos etiam obseruauit
 Seldenus lib. II. Vxoris Ebraicæ cap. 24. Sequitur Ἀκολουθία τῆς
 αἰγῆς ἐλαίης *officium sancti olei*, quod ab extrema Latinorum vn-
 ctione multum differt, & inter alias preces pro numero septem Sa-
 cerdotum, a quibus more solito decantatur, duo adsignat ἀνα-
 γνώσματα, alterum ex Epistolis, alterum ex Euangeliis deprom-
 tum. *Primus* enim Sacerdos legit ex Epistola Iacobi cap. V. a v.
 10. ad 17. & ex Euangelio Lucæ cap. X. a v. 25. ad 38. *Secundus* ex
 Rom. XV. a v. 1. ad 8. & ex Luc. XIX. a v. 1. ad 11. *Tertius* ex 1.
 Cor. XII. a v. 27. ad finem capituli, & ex sequenti XIII. ab initio vsq;
 ad verba versus octauī, ἡ ἀγάπη ἐδέποτε ἐκπίπτει, & ex Matth. X.
 a v. 1. vsque ad 9. *Quartus* ex 2. Cor. VI. v. 16. a verbis: ὑμεῖς ἐ-
 στέ ναὸς θεῶν ζῶντος, vsque ad Capit. VII. v. 2. & ex Matth. VIII. a
 v. 14. ad 24. *Quintus* ex 2. Corinth. I. v. 8. 9. 10. 11. & ex Matth.
 XXV. a v. 1. ad 14. *Sextus* ex Gal. V. a v. 22. vsque ad finem ca-
 pituli & VI. v. 1. 2. & ex Matth. XV. a v. 21. ad 29. *Septimus* ex 1.
 Thessalon. V. a v. 14. ad 24. & ex Matth. IX. a v. 9. ad 14. Certe
 nec oleum nec operam perdet, qui loca citata accuratius inter se
 contulerit, siquidem clarissime deprehendet, quam eleganter appo-

siqueque omnia sint ordinata. Nec alia apud Græcos officia eodem Euchologio comprehensa lectionibus ex diuini Scriptura depromtis carent, vt *ἀντιψία* docet. Nobis adlata specimina in præsens sufficiunt.

XXIV. Præter sacros libros consueuerunt etiam Græci Epistolas Doctorum & Acta Sanctorum in publica congregatione legere. Prius antiquissimum est, & ex Dionysio Corinthio, Scriptore proximi post Apostolos æui, luculenter patet, cuius verba ex Epistola ad Romanos conseruauit Eusebius Lib. IV. Histor. Eccl. cap. 23. *τὴν σήμερον ἔνκυριακὴν ἀγίαν διηγάγομεν, ἐν ἣ ἀνεγνώκαμεν ἡμῶν τὴν ἐπιστολὴν, ἣν ἔξομεν αἰεὶ ποτε ἀναγνώσκοντες νεθετεῖσθε, ὡς καὶ τὴν προτέραν ἡμῖν διὰ κλήμεντος γεγεφείσαν.* Hinc constat, moris olim fuisse, vt Epistolas mutuæ charitatis indices ad se inuicem scriberent Ecclesiæ earumque Episcopi, quas ad se perlatas publice legerent ad fidei virtutumque vnitatem declarandam; quem præclare illustant Patricius Iunius & Ioannes Fellus initio Notarum in Epistolam Clementis ad Corinthios, additque nonnulla Cardinalis Bona lib. II. Rer. Liturg. cap. VI. n. 2. Sed omnes cum iudicio legendi sunt, quum constet, illos Episcopaliū siue Hierarchicorum Sectæ in Anglia; hunc Pontificiæ religioni addictum esse. Non noui autem exemplum vetustius illo, quod Dionysius attulit de Clementis Romani Epistola, ea nimirum, quam citauit Clemens Alexandrinus, vt cum aliis plurimis statuit Ioan. Dallæus de Ignat. scriptis cap. 26. pag. 436. Sed aliter paulo hunc locum interpretatur Guil. Beueregius Lib. II. Vindic. Can. Apost. cap. IX. num. X. contenditque duas Clementis ad Corinthios Epistolas hoc loco approbari, quarum prior sub ipso Clementis, posterior sub Romanæ Ecclesiæ nomine scripta fuerit. Cui respondet Moynius To. II. Varior. Sacr. pag 1067. 1068. censetque locum Dionysii apud Eusebium esse corruptum, & sic omnino legendum: *ἀνεγνώκαμεν τὴν ἐπιστολὴν ἣν ἔξομεν αἰεὶ ποτε, ἀναγνώσκοντες νεθετεῖσθε, ὡς καὶ τὸ πρότερον ἡμῖν διὰ κλήμεντος γεγεφείσαν.* Legimus Epistolam vestram, quam semper legimus ad instructionem & solatium nostrum, tanquam ad nos per Clementem olim scriptam & destinatam. Quid de hac emendatione, sine cuius-

iusquam codicis consensu instituta, sentiendum sit, eruditi iudicent. Videtur enim nodus absque ea solui posse, si dicatur Dionysius per epistolam Romanorum die Dominico lectam non aliam intelligere, quam cuius causa tum responsorias literas adornabat. Confirmat id Valesii in adnotationibus opinio, qui non dubitat fragmentum Epistolæ Dionysianæ cum altero lib. II. cap. penult. ab Eusebio citato connectere: quod si fiat, *ὡς θεοῖαν* de novo per litteras a Romanis factam Dionysium intelligere facile cognoscet, qui insuper attenderit, in nostro fragmento eum non obscure loqui de lectione epistolæ tum primum instituta & postea sæpius iteranda, quod de Clementis epistola dici non poterat. Vt cunque autem sese habeat ista conciliandi ratio, certe CL. Felus non suffragatur opinioni Cotelerii a Beueregio adprobata, quod Clementis epistola, quam secundam vocant, prius scripta sit. Verba eius hæc sunt Præfat. in Epist. Clement. edit. Oxon. an eis loc. LXXVII. *Abunde sufficet huic Epistola, si liceat illi in secundis consistere; nec ad eam peruenit inuerecundiam, ut ex adblandiente Clar. Cotelerii suffragio, primam velit anteuertere.* Certe non desunt inter eruditos, qui ex fragmentis secundæ epistolæ Clementinæ a Iunio, Fello & Cotelerio editis coniiciant, pro Sermone potius quam Epistola illam esse habendam: neque enim incipit ab inscriptione aliqua aut voto, quæ tum aliis viris Apostolicis, tum Clementi etiam vsitata fuisse ex initio alterius epistolæ liquet, sed morem potius homiletarum refert, *Ἀδελφοὶ. ἕως θεῖ ἡμᾶς φερενεῖν περὶ Ἰησοῦ ὡς περὶ Θεοῦ*, eundemque sapiunt interpretationes pericoparum Scripturæ non tantum Canonice cap. II. ex Esaiâ, sed Apocryphæ quoque cap. XII. ex Euangelio (vt videtur) secundum Ægyptios depromptarum.

XXV. Sed reuertamur ad primam Clementis nostri epistolam, & Eusebio lib. III. cap. 16. de sua ætate testanti auscultemus: *ταύτην δὲ καὶ ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις ὅπῃ τὸ κοινὸν δεδημοσιωμένην πάλαι τε καὶ καθ' ἡμᾶς αὐτὰς ἔγνωμεν.* Idem confirmat Hieronymus in Catalogo, quando eam vocat *valde utilem Epistolam, quæ ἔ in nonnullis locis publice legitur.* Porro post Hieronymi tempus non invenitur, quod sciam, neque ex Græcis, neque ex Latinis

Chrystomi homilias recitare solent Græci, quamuis multas adiecerint spurias, ut est illa, cui citatam adnotationem iunxit Goarus. Conf. Leo Allatius Dissert. 1. de Libris Eccles. Græc. p. 53.

XXIIX. Præterea in ἀναγνωσμάτων sacrorum censum veniunt Acta Martyrum, aliorumque Sanctorum, quæ diebus illorum emortualibus publice in Ecclesia Græca præleguntur. Quem morem prolixè illustrant ac comprobant nouissimi in Belgio Actorum Sanctorum Collectores, Bollandus, Henschenius & Papebrochius. Non repugnabo, si quis eius originem ad Gregorium Neocæsareensem siue Thaumaturgum referat, quem Gregorius Nyssenus in orat. de vita eius laudat tanquam τὰς ὑπὲρ τῶν ἐνεθληκότων τῆ πίσει παρηγύρεις νομοτεθήσαντα. Quidquid sit, Concilium Carthaginense primo sæculi quinti anno celebratum & apud Græcos etiam receptum, Canone L. decernit: Ἐξέστω ἕκ μὴν ἀναγινώσκεσθαι τὰ πάθη τῶν μαρτύρων, ἕνικα αἱ ἐτησίαι αὐτῶν ἡμέραι ὀπιτελῶνται. Patres autem Trullani fraudem Gentilium in eiusmodi Actis confingendis improbarunt, eaque igni adiudicarunt Canone LXIII. vbi Guil. Beueregius in Synodico elegantes attulit obseruationes, quibus paria reperire licet apud Celeberrimum Sagittarium Dissert. de Natalitiis Martyrum cap. IV. n. 29. 30.

XXIX. Qui autem exactiorem ἀναγνωσμάτων Græcorum desiderat notitiam, Libros eorum Ecclesiasticos adeat, necesse est, quos Leo Allatius peculiari Diatriba descripsit. Euoluat eorum Typica & Tactica, quæ vniuersum diuinorum officiorum ordinem præscribunt. Consulat Liturgias Basilii, Chrystomi & Gregorii, quæ hodie apud Græcos in vsu sunt, quanquam successu temporum varie interpolatæ & auctæ, quod post Bonam, Goarum aliosque animaduertit Thomas Smith Epist. de statu Ecclesiæ Græcæ hodierno pag. 81. 82. In manus sumat εὐαγγέλιον, Ἀπόστολον, & ἀναγνώσματα, quorum primus liber Euangelia, secundus Acta Apostolica, Epistolas Pauli & Canonicas, atque Apocalypsin, tertius certa veteris Testamenti segmina ad vsu singulorum dierum & festivitatum ordinata continet. Inspiciat
Menæa,

Menæa, Menologia & Synaxaria, quorum ista singulis diebus unius vel plurium sanctorum officium digerunt; illa sanctorum vitas quolibet die per totum annum summam exponunt; hæc vitas Sanctorum & Martyrum in compendium redigunt, succincteque referunt solennitatem de qua agitur. Perlegat Πανηγυρικόν, qui varios exhibet Sermones in Christi & Sanctorum solennitates, a diuersis auctoribus apud Allatum pag. 94. 95. enumeratis, habitos aut iis saltem inscriptos. Equidem paucissimi ex his libris typis publicis exscripti sunt, nec facilis est aditus plerarumque Bibliothecarum Pontificiarum, in quibus latent maximo numero: non desunt tamen in Bibliotheca Cæsarea, vt apud Lambecium To. III. & VIII. videre est, & in Anglicanis, vt Euangeliorum Codices MSS. in Bibliis Polyglottis citati. Talis etiam reperitur in Basileensi, cui mille alii, alii octingentos assignant annos. *Habet in margine sectiones, quibus Dominica notantur lectiones, siue Dominicalia, Orientali Ecclesie iam antiquitus, exemplo Synagoge, recepta, teste αὐτόπῃ Ioan. Henr. Hottingero Bibliothecar. Quadripart. pag. 14. Eo etiam pertinent ἐκλογαὶ Euangelicæ hebdomadario cursu definitæ, quas idem in Norimbergensi Bibliotheca se vidisse adserit pag. 21. Plura recenset Celeberrimus Augustanorum Ecclesiastes, Theoph. Spizelius, in Arcanis Bibliothecarum relictis, ad quem Lector benignus amandari se patitur.*

XXX. Perlustrato Græcorum ritu ad alias Orientales Ecclesias progressum facimus. Hierosolymis quum Christus ipse & Apostoli docuerint, dubium nullum est, quin sacrarum scripturarum lectio in ista cæterarum Ecclesiarum matre fuerit introducta. Equidem multi sunt, (vt supra monuimus) qui Iacobὶ ἀδελφοθέx Liturgiam in subsidium vocant, in qua sacrorum ἀναγνωσμάτων mentio fit. At quanquam non negamus, Iacobum istum primum Ecclesie Hierosolymitanæ fuisse Episcopum, quem multi veterum Patrum ab ipso Christo ordinatum volunt, vt videre est apud Vales. Annot. Euseb. pag. 20. 21. nec inficiamur, Iacobum cum cæteris Apostolis lectionum diuinarum ritum in sua Ecclesia instituisse: non opus tamen est, recipere

Sed vide autoris disput. de
Symbolo Apostolico §. 17.
ubi cum Richardo Simonio
statuit, falso insinuari falso
in nomine istam Liturgiam.

Liturgiam, quæ tam aperte voces ritusque post Apostolos demum
introducitos continet, sufficitque, eam pro Liturgia Hierosoly-
mitanæ Ecclesiæ habere, cuius initium Iacobus quidem ἀδελ-
Φόθεος & Apostoli fecerint, sed augmentum cæteris Antistitibus
adscribendum veniat. Nec ipsi plus auctoritatis accedit, quod
apud Syros, Coptos & Æthiopes habetur; horum enim Codices
a Græcis multum differunt, ut ἀθίνατοι sit, veram germa-
namque Liturgiam inter tot variantia exemplaria reperire.
Multo minus Athan. Kirchero & Abrah. Ecchellensi Syriacum
Ioannis Maronis Commentarium crepantibus auscultamus, quan-
doquidem *Monsieur du Moni* (quem eundem cum Richardo Si-
monio esse merito statuunt Clarissimi Actorum Eruditorum,
Lipsiæ collectores mensè Nouembr. superioris anni pag. 496.)
in *Histoire Critique* cap. 13. *consuetum esse ait Maronitis aliisque
Orientalibus, crisis historice imperitis, tempora confundere, & ad
antiquiora referre, quæ multis seculis recentiora sint. Ideo nec
Ioannis Maronis Commentario in Liturgiam S. Iacobi plenam
fidem habendam.* Cæterum notatu dignum est, quod de eadem
notat Allatius de lib. Eccl. Græc. pag. 16. *Liturgia Iacobi semel
in anno in Hierosolymitana Ecclesia, ut mihi relatum est, dicitur.*
Id repetit Vsserius de Symbolis pag. 10. sed de Marci Liturgia
forte per lapsum memoriæ adserit Morinus Lib. VI. de Administr.
Sacram. Poenit. cap. XXII. n. X.

XXXI. Apud Syros hodiernum reperitur versio vetustissi-
ma sacrorum librorum tam veteris quam noui foederis. V-
trumque in sectiones certas Lectionis commodioris causa dispe-
scitur, quarum aliæ ܐܘܪܝܘܬܐ aliæ ܡܢܘܚܐ a Græco κεφάλαιον
adpellantur. Si quis exactam earum notitiam cupit adsequi,
Biblia Polyglotta Londinensia euoluat, & Ioan. Henr. Hottin-
geri Thesaurum Philolog. Lib. I. cap. II. Sect. V. p. 222. conferat.
Nos pauca addemus de V. T. ex Herberti Thorndicii Variis Le-
ctionibus versionis Syriacæ To. VI. eorundem Bibliorum, qui re-
fert in Pentateucho MS. Vsseriano anno Alexandri cis 15 XXIV,
cuius initium in annum Christi cis 662 incurrat, absoluto, ad
calcem

calcem singulorum Mosis librorum sectionum versuumque nu-
 merum adnotari, vnde ea saltem latine adscribemus, quæ in fine
 Deuteronomii leguntur: *Finis Deuteronomii, libri quinti Legis, cu-
 ius sectiones sunt viginti, & versus bis mille septingenti octoginta
 tres. Tota autem Lex continet versus sedecim mille, nongentos
 & viginti quinque. Sectiones autem simul omnes centum vigin-
 ti sex. Primi libri, triginta quatuor. Secundi, nimirum Exodi,
 viginti sex. Tertii id est, Leuitici, viginti. Quarti, siue Numero-
 rum viginti sex. Quinti id est Deuteronomii, viginti: Summa, cen-
 tum viginti sex.* In Bibliis Polyglottis sequentia reperias ad cal-
 cem Deuteronomii huc spectantia: *totus liber iste legis complectitur
 versus 16906, sectionibus 126. comprehensos.* Sunt autem hæ lecti-
 ones maiores, & lectionum publicarum rationem mihi explicare
 videntur, Syrisque **ܟܘܕܝܩܐ** dicuntur, cum aliàs hac voce *Codex*
 & *exemplar* significetur, vt monet Arnoldus Bootius in *Indice
 Auctorum, Animadversionibus Sacris præmissis, Voc. Syrus:* idem-
 que de minoribus & minimis sectionibus, capitibus nempe &
 versibus, ita scribit: *Habent Syri suas capitum & versuum diui-
 siones, sed nequaquam ad nostrum modum. Namque Genesis
 ipsis habet versus 4509. capita 78. Exodus versus 3626. capita 44.
 Leviticus versus 2454. capita 19. Numeri versus 3521. capita 36.
 Deuteronomium versus 2796. capita 28. Iosue versus 2167. capita
 19. Iudic. versus 4233. (vel potius 433. vt in Bibliis Anglicanis ha-
 betur) capita 11. Iobus 2803. capita 14. & sic de cæteris.* Si in
 re obscura coniecturis indulgere liceret, opinarer, capita illa pri-
 uatam Bibliorum Lectionem quotidianam terminare, eaque de
 causa breuia singulis summaria præmitti, quorum exempla Boo-
 tius & Hottingerus ex Pentateucho Vsseriano recensent. Noui
 Testamenti Libris Canones Eusebianos præmittunt, vt patet ex
 duobus vetustissimis, quos ex Langii Catalogo Bibliothecæ Flo-
 rentinæ describit Waltonus Prolegom. XIII. n. 17. *Scamno 1. cod.
 numero 40. Euangelia quatuor Syriace sine punctis vocalibus an-
 te annos 925. scripta nempe anno Alexandri 1038. i. juxta Epocham
 vulgarem Syrorum & Orientalium ad nostrum computum dedu-*

*Etiam anno Christi 727. Initio habetur Harmonia Euangelica Eusebii Pamphili: liber est in folio pergamenus. Eodem Scamno cod. numo 56. Euangelia 4. Syriace literis capitalibus & sine punctis vocalibus scripta ante annos 1066. anno nempe Alexandri 807. hoc est anno Christi 585. Habetur & in hoc Codice Harmonia Euangelica Eusebii & Ammonii cum miniaturis (quæ etiam in Codice superiore sunt) picturisque Historiarum Vet. & Nov. Test. Hic codex vere inestimabilis est &c. In aliis Codicibus exstat etiam diuisio in sectiones & capita, quarum eundem vsu, quem in Vet. Test. diximus, fuisse existimamus. Talis est Codex IV. Evangeliorum Altdorfinus a Theodorico Hackspanio Præfat. in Bertrami Lucubrationes Franckthallenses descriptus & a Ioan. Ernesto Gerharde cum impressis olim collatus vnde eiusdem Exercitationes ad Nouum Testamentum Syriacum natae sunt: In quarum secunda quæst. III. obseruat, priorem potioreque MSti partem in membrana caractere antiquo Syriaco exaratam aliquot annis, si non sæculis antiquiorem esse posteriori seu complemento, quod papyro Turcico litteris Syrorum modernis scriptum a Ioan. XI. v. 48. incipiat, & anno Alexandri 1500. h. e. Christi circiter 1173. (aut potius 1188. secundum Ioan. Gravii Epochas & computandi modum a Guil. Beueregio Lib. II. Instit. Chronol. cap. 16. n. 12. monstratum) absolutum sit. Porro ad calcem huius præstantissimi Codicis numerus sectionum his verbis indicatur: **ܕܡܝܢ ܕܩܘܪܝܢܐ ܕܪܘܗܡܐ ܕܡܫܝܚܐ***

*Sunt in vniuerso Euangelio septuaginta & octo sectiones. Gerhardus nescire se ait, quid vltima voce indicetur: sed nihil aliud quam sectionem ea denotari post Bootium adfirmant viri litteraturæ Syriacæ callentissimi, Edmundus Castellus in Lexico Heptaglotto, & Hottingerus in Thesauro pag. 219. Cæterum Ioan. Albrecht Variarum Lectionum Codicis Altdorphini a Gerharde collectarum editor in Præfat. testatur, istas sectiones partim sub sinem codicis memorari, partim ipsi Codici inseri. Vid. Luc. 1. v. 38. 56. c. 2. ab init. & v. 21. 36. & alibi passim: additque: Huc refero **ܩܘܪܝܢܐ ܕܪܘܗܡܐ ܕܡܫܝܚܐ** siue capitum, hoc est, lectionum enumerationes, singulis Euangelistis, soli Mat-*

*si Matthæo mutilate præfixas, quæ cum versione alio tempore ve-
lucem videant, curabo. Summa autem earum in quolibet Euan-
gelista est, & quidem in Matthæo Δ hoc est 70. in Marco Δ
b. e. 49. in Luca Δ b. e. 83. in Ioanne Δ b. e. 19. Quæ si
quis cum τίτλοις, Evangeliorum Græcis contulerit, facile intelliget,
Syros Græcorum distinctionem plerunque sequi.*

XXXII. Habent quoque Syri certas Evangeliorum, Actuum
Apostolicorum, & Epistolarum tam Paullinarum, quam Ca-
tholicarum, Pericopas Dominicis & festis diebus destinatas, quæ
in Viennensi, Antuerpiensi & Londinensi editione singulæ locis si-
bi debitis adscriptæ reperiuntur. De iis varie sentiunt eruditi, &
quanquam mire a Pontificiis extolluntur, suppositionis tamen no-
tam effugere haud potuerunt apud Petrum Paullum Vergerium,
Dialogo III. de Osio pag. 202. 203. Sed Ioan. Ern. Gerhardus
Exerc. I. Quæst. I. non immerito suspicatur, a Vergerio odio perso-
næ partiumque studio hæc fuisse prolata, contrariumque probat
cum aliunde, tum ex Altdorfino Codice, in quo illæ capitum di-
stinctiones ac tituli manu æque antiqua, qua textus ipse scriptus,
rubro colore inserti vel additi sint, denique putat, eosdem post
adornatam versionem a Patribus Alexandrinis additos fuisse.
Quam sententiam probant Hieron. Kromayerus in Polymathia
Theol. pag. 137. & Andreas Mullerus in Symbolis Syriacis Dissert.
II. pag. 33. 34. ubi Mosis Mardeni siue Meridinaei Epistolam IV.
in Bibliotheca Electoris Brandenburgici cum aliis adseruatam in
testimonium aduocat, his verbis :

וְכָל הַסְּפָרִים וְכָל הַפְּרָקִים כְּסֵדֵם וְכַדְּרֵם
כְּסֵדֵם וְכַדְּרֵם Scito quod
omnia capitula secundum ordinem Ecclesie nostræ (Iacobitica)
scripserim &c. Quamobrem obseruandum est, quod Gerhardus
Exerc. II. quæst. III. refert de numero Lectionum in fine libri Alt-
dorfini adnotato: כְּסֵדֵם וְכַדְּרֵם כְּסֵדֵם וְכַדְּרֵם

& Lektionen ducentæ triginta & quatuor, quum tamen a Widman-
stadio & Boderiano ducentæ quadraginta septem numerentur.

Inde

Inde enim clarissime conficitur, non simul & semel lectionum pericopas in Syriaca Ecclesia fuisse institutas, sed successive cum ipsis festis sanctorumque solennitatibus introductas, non quidem a Patribus seu Patriarchis Alexandrinis, quod Boderianus eumque sequutus Gerhardus adserunt, sed ab Antiochenis, utpote quibus ius in Syrorum Ecclesiis hæc ordinandi antiquitus competebat. Operæ pretium faceret, qui vetustissimos Euangeliorum Syriacos Codices duos Bibliothecæ Florentinæ ex Langio supra commemoratos inspiceret, ac rationem pericoparum, de quibus *miniaturas* interpretor, nos edoceret. Plura hanc in rem videri possunt apud Mich. Waltherum in Officina Biblica pag. 299. Gerhardum Exercit. 7. de Festis Orientalium cap. III. Heinsium in Aristarcho cap. XIII. Hottingerum in Analectis pag. 330. & similes scriptores: Minimeque omittendæ correctiones Gabrielis Sionitæ, quas in Epistola ad Nihusium Tom. I. Symmictorum Allatii inserta prauæ Widmanstadii ac Boderiani interpretationi emendandæ contulit, quod pluribus præstiterunt eruditi Angli in Polyglottis.

XXXIII. Quod supra de Græcis diximus, de Syris quoque accipiendum est, quando præcipuis festis, Natiuitatis Christi, Paschatis, & similibus, easdem plerunque nobiscum adsignant pericopas, idque tum vsu venit, quum historia rerum festis diebus commemorandarum in sacris litteris continetur. Nam reliquis alias lectiones tribui manifestum est. Præterea Græcos Syri imitantur in vsu specialiorum ἀναγνώσεων, qualia in ordinibus Ecclesiasticis conferendis apud Nestorianos, Iacobitas ac Maronitas adhiberi docuit Morinus in Opere de sacris Ecclesiæ ordinatibus. Pari ratione inter ritus Baptismi legunt tres pericopas, quarum prima ex Act. Apost. cap. IIX. a versu 26. ad 40. secunda ex Epist. ad Ebræos c. X. a versu 15. ad 24. desumpta, tertia autem Euangelium de Nicodemo ad Christum noctu veniente & de salutaris Baptismi efficacia informato continet ex Ioan. III. a versu 1. ad 9. Quod Eduardus Breerewood Scrutin. Relig. cap. XIII. de Cophtitis pag. 109. his verbis enuntiat: *In Liturgiis legunt Euangelium Nicodemi.* Hinc fluxit supinus error Christoph. Sandii Tract. de Scripturis Eccles. pag. 10. *Euangelium Nicodemi*

mi a Coptis in Missis legi, quod repetit Ioan. Halleruordius Bi-
blioth. Curiosæ pag. 284. Enimuero Breerewoodus procul du-
bio respexit Liturgiam siue Rituale Baptismi, quod sub Seueri Alex-
andrini Patriarchæ nomine Syriace & Latine edidit Boderianus,
vbi citata Syrorum ἀναγνώσματα reperiuntur, tertiumque hoc
titulo signatur pag. 33.

Εὐαγγέλιον *Euangeli-*
um ex Ioanne.

Vnde colligitur, quam inepte Sandius de suppositio
 titio Euangelio, quod sub Nicodemi nomine circumfertur & ab o-
 mnibus eruditissimis reicitur, hoc loco cogitauerit. Sed Boderianus
 quoque in Auctore Ritualis adsignando non minus peccauit, quan-
 do verba in titulo Codicis Syriaci

ⲟⲩⲛⲁ ⲛⲉϥⲟⲩⲛⲟⲩ ⲛⲉⲩⲟⲩⲛⲟⲩ ⲛⲉⲩⲟⲩⲛⲟⲩ
ⲛⲉⲩⲟⲩⲛⲟⲩ ⲛⲉⲩⲟⲩⲛⲟⲩ *Dominum meū Seuerum sanctum Patriarcham*
siue loci additamento signantia de Alexandrino ex ingenio suo
interpretatq̄ vniuerso orbi litterato imposuit, donec errorē feliciter
correxerit Morinus Lib. IIX. de Pœnit. c. XIX. n. 9. antiquo MS. Sy-
riaco adiutus, quod sic inscribatur ex eiusdem versione: In
virtute S. Trinitatis incipimus scribere ordinem baptismi diligenter
correctum secundum correctionem Domini Seueri Patriarchæ Anti-
ocheni. Addit Morinus: Vulgo tribuitur hoc opus Seuero Alex-
andrino. Nescio an aliquis vnquam fuerit istius nominis Alexan-
drinus Patriarcha. Deinde quid Alexandrinis & Ægyptiis cum
lingua Syra: Græce & Ægyptiace, siue Coptice erat cum iis agen-
dum. Quare Moriniam tacito nomine exscribit Simonius lib. III.
Hist. Crit. V. T. c. 24. vbi contra Waltonum disputans eandem de
hac liturgia sententiam prodit. Non dubito, quin Seuerus ille sit i-
dem cum Commentatore Seuero, quem Syri maxime laudant, vt
in Præfatione ad Mosen Bar Cepham docet Andreas Masius, vbi &
refert, exstare apud se quatuor Regum libros e Græco Hexaplorum
Origenianorum exemplari manu Eusebii correcto in Syriacam lin-
guam traductos, quibus ad marginem Scholia Diui Seueri Patriar-
chæ adscripta sint. Eadem Scholia aliquoties in Pæculio Syrorum
citat Masius, & Hottingerus in Bibliotheca Orientali pag. 185. ait,
Elichmannum eiusdem habuisse commentaria in Apocalypsin Ara-
bica,

F

bica,

bica, sed Syriacae scripta: de quo scribendi modo Syris admodum familiari plurima exempla proferre possem, si ea res nunc ageretur. Cæterum Celeberrimus Hallensium Ecclesiastes Io. Gottfridus Olearius in Abaco Patrum pag. 428. censet Liturgiam istam traditam mox post Mahumeticam tempestatem, ut videtur, in solatium captiuorum. Hinc Genebrardum in Chronologia ad an. 646. Seuerum retulisse. Videant igitur, quibus Patriarcharum Orientalium Catalogi ad manus sunt, an eo tempore Seuerus quidam ad clauum Ecclesiæ Antiochenæ sederit. Equidem Index illorum a Pocokio secundum ductum Patricidis, Alexandrini quondam Patriarchæ adornatus inter Patriarchas Alexandrinos nullum plane Seuerum, inter Antiochenos non alium agnoscit, quam Eurychis sectatorem notissimum, qui circa quinti sextiq; sæculi confinia Ecclesiam turbauit. An illi autem Rituale tribuendum sit, eruditi iudicent. Masius cætera scripta a se laudata hæretico Seuero non vult tribuere, sed alium tamen illius nominis Antiochenum Patriarcham adsignare nequit; ac laudes Syrorum nõ ab aliis quam Eutychanis seu Iacobitis proferri inde patet, quod Moses Bar-Cepha & Moses Mardenus Masii Doctor, ibi citati sectæ isti addicti fuerunt.

XXXIV. Legunt præterea Syri homilias Patruai, in primis Ephremi, cui ὑπὲρ τὰς χιλιάδας λόγους tribuunt, teste Photio. Alium commemorat Masius in citata præfatione: *Producit insuper (Bar Cepha) Iacobum Sarugensem: id est Sarugæ urbis Episcopum. Hic apud Syros vel solo nomine Mori Iacob notissimus est. Scripsit enim, ut aiunt, post Ephrem Syrica lingua opera plurima, quæ ab omnibus Ecclesiis auide leguntur.* Quibus subiiciamus Hottingeri verba Biblioth. Quadripart. pag. 240. *Ecclesiastica, quæ Concionum vel materiam vel formam præbeant, pauca extant. Puto veteres Syros lucubrationibus Ephremi tantum detulisse, ut publice illæ legerentur. Exstant tamen conciones Narsai, Georgii Catholici: Elie Metropolitæ de doctrina lectionum totius Euangelii.* De quibus videatur Ebedielu Catalogus Scriptorum Chaldaicorum, quem Abraham Ecchellensis Maronita Syriacæ & Latine Romæ edidit. Nisi sublesta Pontificiorum fides publice cognita esset, Lectionem ablegarem ad Breuiarium Maronitarum, cuius pars Hymnalis

malis anno c^lo I^oc LVI. Æstiva autem anno c^lo I^oc LXVI. Romæ typis Congregationis de propaganda fide prodiit, vt in Elencho librorum eiusdem congregationis typis vel sumtibus editorum Romæ an. c^lo I^oc LXVII. excuso videre est. In eodem Elencho commemoratur Calendarium Syriacum siue Chaldaicum a Michaele Hefronita Maronita an. c^lo I^oc XXVII. editum, quod an genuinam Antiochenorum traditionem exhibeat, alii iudicent. Admittitur sane in auctoritatem a Viro in his litteris peritissimo Georg. Hieron. Velschio Dissert. in Ruzname Naurus pag. 52. & 63.

XXXV. Christiani Arabes duplicem præcipue versionem Scripturæ habent, alteram Antiochenam, quæ illis sub Patriarcha Antiocheno degentibus in vsu est: Alexandrinâ alteram, quæ a Christianis Alexandrino Patriarchæ subiectis legitur. Vtra in Heptaplis Parisiensibus & Bibliis Polyglottis exhibeatur, magna inter eruditos est controuersia, quam nostram nunc non facimus. Eam certe definire admodum est difficile, non tantum propterea, quod ex collatione manifestum, in neutra editione versionem vnâ eandemq; exhiberi, sed ex variis Codicibus ita confarcinatam esse, vt quæ vni deerant, ex altero suppleantur, etiam si in cæteris non conueniant: verum etiam quod ex confessione Christiani cuiusdam Alepensis apud Pocockium Præf. in Var. Lect. Arab. constat, non reperiri penes ipsos Arabes exemplar bibliorum æquali filo contextum. Vnde igitur in tanta diuersitate nobis constabit distinctio librorum Biblicorum apud Arabes? Accedit Codicum MStorum apud nos penuria, quæ desiderium sciendi augere, non lenire potest. Nec aliorum, qui libros Arabicos manu exaratos tractarunt, obseruationes de V. T. apud Arabes sectionibus nunc suppetunt, nisi vnus Hottingeri, quando in Harit Ibn-Sina versione Pentateuchi Arabica hæcenus inedita Parascharum quidem ac Sidrarum Iudæicum nomen nonnunquam retineri, plerumque tamen Syrorum vocabulum *אלסו* occurrere titulorumque apud eos vsitatorum vestigia reperiri testatur in Thesaur. Philolog. pag. 217. 219. 271.

XXXV. Sed de distinctione Noui Testamenti apud Arabes

F 2

plura

plura proferre licet, quando non modo Angli in Tomi Quinti Bibliorum Præmonitione adserunt, Tabulas κεφαλαίων Græcorum cum Arabicis consentire; sed eas quoque Erpenius cum Nouo Testamento Arabico Arabice edidit Leydæ an. 1616. consensumque ab Anglis obseruatum egregio exemplo confirmat Seldenus Lib. III. de Synedriis Cap. IV. num. 8. qui tamen lib. III. de Vxore Ebraica Cap. XI. dissensus etiam meminit: *In Bibliotheca Arundelliana est Exemplar Arabicum, perquam nitidum ac vetustum, quatuor Evangeliorum, nec sine vocalibus anno ære Martyrum 1043, atque Hegiræ 727. (ut ad finem notatur, id est Christi 1316) in Ægypto scriptum, in quo etiam legitur. Scilicet recentius est codex, unde editio facta est Erpeniana, annis quinquaginta quinque. Et Capita seu Sectiones ab eis, quæ in editionibus Romana ac Erpeniana, perquam sunt diuersæ. Hinc est, quod Hottingerus in Analectis pag. 281. ait, apud Arabes Matthei Euangelium capita habere 101. Marci 54. Lucæ 86. Ioannis 46. probatque aliquot exemplis, quæcunque materiæ affinitate coniungi possunt, sub unum caput referri. Petrus Kirstenius in sacris Arabicarum distinctionum numeris singulare aliquid obseruasse sibi visus est Lib. I. Grammat. Arabicæ pag. 27. Fingit enim, characteres istos, post adscensionem Saluatoris nostri, Apostolorum quasi proprios fuisse. Sed refellitur a Moynio To. II. Var. Sacr. pag. 790, 791. qui nihil sacri in illis reperit cum Erpenio Grammat. Arab. pag. 16, 17.*

XXXVI. Quid autem legant Arabes diebus Dominicis & festis, & quas illis adsignent pericopas, in tanto monumentorum defectu edisserere non possumus. Hottingerus in Analectis pag. 282. ita censet: *Inscriptiones illas, sequioris seculi indices, quæ sub antiquitatis prætextu in Testamentum Syriacum maiorum demum nostrorum memoria irrepsérant, Arabica Ecclesiæ non agnoscunt. Sed dubito, an alii id admissuri sint. Equidem quid de Syriacis epigraphis statuendum nobis videatur, supra exposuimus: nec Arabes festa illorum ignorare præter arctam vtriusque Ecclesiæ communionem, qua factum est, ut pleræque sacrarum litterarum versiones Arabicæ ad Syriacæ normam adornatæ inueniantur, ceu plurimi eruditorum, Beawellus, Pocokius, Nisselius, alii, pridem*
com-

commonuerunt: aperte confirmat Calendarium Arabicum, quod Codici Euangeliorum anno Æræ Martyrum 1002. seu Christi 1286. scripto at textum edidit Seldenus Lib. III. de Synedriis cap. XV. nonnullis in locis a se non intellectum, quæ restituere cœpit Hottingerus Biblioth. Orient. pag. 83. 84. nec recentem esse multorum festorum consuetudinem ex Calcafenio Muhammedano scriptore a Christianis Arabibus edocto probauit Seldenus. Qui id cum inscriptionibus festorum Syriacis contulerit, pleraque eorum apud Arabes quoque obtinuisse deprehendet. His autem penes eosdem nullam plane lectionem ex sacris Scripturis adsignatam fuisse, omnem fidem superat. Plura in hanc rem suppeditant procul dubio *Typicum Sancti Mar Saba*, & *Typicum Ecclesia*, quarum meminit Patricides Tom. I. Annalium p. 524. & To. II. p. 247. 284. Nec spernendum Lectionarium Græco-Arabicum, in Bibliotheca Lugduno-Bataua ex Scaligeri legato asseruatum, quod post Ludouicum de Dieu Præfat. Annot. in Euangelia descripsit Hottingerus in Analectis pag. 265. *Lectioarium Græco-Arabicum, ex Euangeliis & Psalmis, antiquissimum, & octingentis forte (ut e Græco e characteribus colligebat Scaliger) abhinc annis scriptum.* Idem allegat Heinsius Exercit. Sacr. cap. XV. XVI. monstratque, distinctionem Græcam a nostra hodierna diuersam esse, sed de Arabicis silet.

XXXVII. Cæterum plurimos Patrum tractatus in linguam Arabicam versos exstare in Oriente, communis eruditorum est opinio, initium fere faciente Christiano Rauio in Obtestatione ad Europam Constantinopoli scripta pag. 10. *Reperiuntur in Oriente Ioan. Chrysofomi opera omnia Arabice. Præter hos autem libros Chrysofomi omnes, Basilium, Eusebium, Clementem Alexandrinum eiusque sine dubio desiderata hæctenus in Græco uolumina reperire in Syria & Palestina poteritis.* Quæ partim repetunt, partim pluribus exemplis confirmant Matth. Wasmuth Præfat. in Grammat. Arab. Waltonus Prolegom. XVI. num. X. Hottingerus Analect. pag. 33. & Biblioth. Orient. pag. 63. sed quum nullus referat, homilias Patrum Arabicas in Ecclesia quoque populo prælegi, temere id adfirmare nolumus, quando præsertim Exempla sup-

petunt, quod recentiores Arabicarum Ecclesiarum Doctores homi-
miliis ipsi conscripserunt. Nam Iacobus Golius in appendice ad
Grammat. Erpenii meminit *Concionum festalium* Eliæ Patriarchæ
Antiocheni circa A.C. c. l. CL. viuentis in Bibliotheca Leidensi A-
rabice exstantium, indeque publicauit vnam in festum Natiuitatis
Christi.

XXXIIX. Quamquam autem Copti Versionem Arabicam
Alexandrinam in sacris lectionibus adhibent, non negligunt tamen
Copticam, ex qua Pentateuchum & vniuersum nouum Testa-
mentum in Bibliotheca Vaticana exstans qua singulas partes recen-
set Athan. Kircherus Prodro-
mi Copti cap. 8. & circa Concilii Ni-
cæni tempora factam coniecit, non dissentiente Waltono Proleg.
§. num. IV. §. 8. *Pentateuchus*, docente Kirchero pag. 189. *præ re-
liquis singulari cura scriptus est, & accuratissima partitione in suas
lectiones, κεφάλαια & versus distinctus.* Has lectiones (ut qui-
dem paullo post commemorat) *ΠΤΟΙΧΟC* (*versus*) appellant, *Pa-
raschim & Sedarim* Iudaicis longe breuiores. *Sexcentas triginta
liber Genesis earum numerat. Exodus 603. Leuiticus 702. Numero-
rum 835.* Subiicit Kircherus verba Copta, quibus numerus iste
exponitur finito libro, additque: *Deuteronomium quot versus ha-
beat, ob tritam & exosam vetustate paginam colligere non valui. At-
que in hoc mihi Samaritanos imitari videntur Coptitæ.* An au-
tem versus istos recte *lectionum* titulo insigniuerit Kircherus, non
determino. Certe oportet Coptos admodum breues esse in sacro-
rum librorum lectione, si vnaquæque sectio certum *ἀνάγνωσμα*
constituat. Ex Noui autem fœderis libris quid singulis diebus Do-
minicis festisue publice legant, Kircherus non docuit ex suis Codi-
cibus, ac præterea ignorantiam suam prodidit in Appendice Prodro-
mi pag. 331. 332. quando octo tantum Coptorum festa se inuenisse
fateatur; quem meliora edocuit Tho. Mareschallus Obseruat. in
Versionem Anglo-Saxon. pag. 537. ex Calendario Calcasendii a-
pud Hottingerum Biblioth. Orient. pag. 253. cuius nos supra me-
minimus ex Seldeno; indeque constat Kircherum ne sciuisse qui-
dem distinctionem inter Coptitarum septem maiora septemque
minora festa. Exstant etiam alibi Euangelia Coptica MSta, ut in
Bibli-

Bibliotheca Vossiana, quod refert ipse Vossius de Septuaginta Interpretibus pag. 306. laudatus ob communicatum istud cimelium a Mareschallo pag. 484. qui dum pag. 386. sperat, idem aliquando publica luce donatum iri, spem editionis fecisse visus est Ioan. Sauberto Prolegom. de Variis Lectionibus Euangelii Matthæi pag. 57. sed nihil, quod sciam, prodiit. Quid autem Mareschallus referat de distinctionibus Codicis Copti Vossiani secundum Canones (vt videtur) Eusebianos instituto, ex Proœmio Observationum eius ad versionem Gothicam pag. 389. patet. Alios quoque Codices commemorat Moynius To. II. Var. Sacr. pag. 1020. 1021. quorum sine dubio antiquissimus est, qui in Bibliotheca Oratoriana Parisiis adseruatus describitur a Morino tum in Exerc. Bibl. t. c. 6. p. 197. tum in Epistola ad Petrum a Valle, quæ decima tertia est in Antiquitatibus Ecclesiæ Orientalis Londini editis pag. 157. 158. Quanquam enim nec voces, nec versus ibi distinguuntur, fortasse tamen ἀναγνωστέων sacrorum periodi aliqua ratione exprimuntur, vt factum diximus in Græcis Codicibus, Alexandrino & Vaticano, & in pentateucho Vaticano reperit Kircherus, licet ibi quoq; *in incisis membris & periodis vix vlla habeatur ratio.* Quot vt aliquando edoceamur optarem, nisi verear, vt nostra non minus quam Moynii in simili argumento de isto Codice concepta spes frustra sit, quum Waltonus indicet, Codicem istum in Bibliotheca Oratoriana amplius non reperiri. Quare nihil mihi superest, quam vt dicam cum Huetio de Claris Interpretibus pag. 195. *Coptica Interpretationis exemplaria aliquot in Europæ Bibliothecis quibusdam attineri audio; quæ cuiusmodi sint, iuxta scio cum ignarissimis.* Non tamen Coptos plane esse destitutos certarum Lectionum pericopis, fidem facit Hottingeri Codex MSC. Copto-Arabico in Biblioth. Orient. p. 314. 315. secundum argumenta capitum descripto, qui post analysin variorum veteris nouiq; fœderis scriptorum *Lectiones hebdomadarias* cap. XI. designat. Deinde quod infra ex Ludolfo de Æthiopicis obseruabimus, idem & de Coptitis dicendum nobis est, si vera retulit Kircherus in Oedipo, quod & hi *annu ab Euangelistis* denominare consueuerint. Quam in rem conferri meretur Velschii Dissert. in Ruzname Naurus p. 62, 63. vbi non solum

ver-



verba in Kircheriano Oedipo deprauata corrigit, sed rationem simul istorum annorum eleganter edisserit.

XXXIV. Adhibent præterea Copti varias Liturgias, Marci, Basilii, Chrysofomi, Gregorii & Cyrilli, quæ inter Bibliothecæ Vaticanæ libros recenset Kircherus pag. 193. 194. 195. earundemq; in Hottingeri Codice cap. XII. & XIII. mentio fit, ediditque Nihusius inter Symmieta Allatiana Liturgiam quandam Coptorum a Kirchero translata. Quid de his sentiendum sit, perspicaciores facile intelligunt. Vid. Cardinalis Bona lib. I. Liturg. c. IX. n. 5. Ineptus foret, qui omnia in iis contenta laudatis Viris tribueret, quibus prima forte initia adscribenda, a sequentibus Alexandria Patriarchis pro temporum suorum ratione diuersimode aucta & accommodata. Quod aperte cognoscent, quicumque varios inter se Codices conferre voluerint. Itaque facile adsentior Ioanni Dallæo Lib. IX. de Cultibus Latinorum Religiosis cap. 24. dictam esse *Liturgiam Marci eam qua Ecclesia Alexandrina utebatur, cuius conditor Marcus fuisse perhibetur.* Atque eandem nomenclaturæ huius rationem non Perronius modo apud Dallæum attulit, sed etiam Iulius Cæsar Coturius in Epitome Controuersiarum pag. 172. & Franciscus Costerus in Apologia contra Gummarum de Ecclesia pag. 248. satis habet citasse *Ægyptiorum Liturgiam, quam ipsi ad B. Marcum referunt.* Denique in Coptorum Ecclesiis usurpari videtur Martyrologium, cuius meminit Kircherus pag. 195. *Est in Bibliotheca Collegii nostri Maronitici inter ceteros Arabicos Codices Martyrologium quoque Copticum, in quo Sanctorum Orientalis Ecclesie, potissimum Ægyptiorum Monachorum vitæ, juxta dies 12. mensium Coptorum singulari studio Arabica lingua, Coptitæ vernacula, descriptæ spectantur.*

XL. Ecclesiæ Alexandrinæ nobilis propago sunt Habesini siue Æthiopes, a qua sacros etiam libros acceperunt & in linguam patriam tempore suæ conuersionis transtulerunt, prout ostendit Iob Ludolfus, Æthiopizantium in Europa Princeps Lib. III. Historiæ Æthiopicæ cap. II. & IV. Vetus Testamentum in quinque partes diuidunt, pariter a Ludolfo descriptas; Sed quum in Præfatione Lexici Æthiopici testatur idem, *Codices Æthiopum non versibus modo*

do

do sed & capitibus careere, difficile nobis est rationem *αἰα-
 γωσμάτων* sacrorum apud Æthiopes definire. Equidem Lu-
 dolfus Lib. III. cap. 6. n. 60. commemorat in eorum sacris *addi les-
 Etiones ex Nouo Testamento quadripartitas, videlicet ex vno Eu-
 angelistarum: ex Actis Apostolorum: ex Epistolis Pauli: & tandem
 ex reliquis Epistolis Canonicis.* Et num. 89. *Quaternos annos
 ab vno Euangelistarum denominare solent, cuius lectio eo anno in
 Ecclesia absoluitur.* Hanc ob causam in Chronologicis illorum
*computationibus additum reperias, in diebus Marci, in diebus Ioan-
 nis Euangelista & ita porro.* Optamus autem vt specialiora quo-
 que nos ignorare non patiat vir amplissimus in Commenta-
 rio ad Historiã, cuius propediẽ edendi nuper itidẽ spes nobis facta
 est. Novum Testamentũ Romæ quidem impressum est, Canonesque
 Eusebianos præfixos habet, sed illam editionem maxime depra-
 vatam esse & ab ipsis Habessinibus contemni docuit Ludolfus tum
 in Præfatione & Historia, tum in Epistola ad Hottingerum, quam
 is in Bibliotheca Orientali edidit, pag. 324. Vnde facile patet, quid
 sentiendum sit de Pericopis festiualibus in eadem editione ad-
 scriptis, hincque oriunda inuectiua Waltoni Prolegom. XV. n.
 12. in Nouatores, quomodo Presbyterianos seu Puritanos in An-
 glia vocat. Conferri etiam merentur Castelli Observationes in
 Versionem Æthiopicam, quæ To. VI. Bibliorum Polyglott. in-
 sertæ sunt.

XII. Liturgas quarum apud Æthiopes in sacris vsus est,
 recenset Ludolfus Lib. III. c. 4. n. 37. improbatque *doctorum viro-
 rum sententiam, qui Liturgias Christi, Mariæ Virginis, Marci &c.
 seu Apocryphas, vel plane Pseudepigraphas infamauerunt.* Non
 enim ab auctoris sic dictas fuisse, cum textus ipse, tum nomen
 auctoris interdum titulo adiectum indicat. De qua epicrisia me
 nuper rogatus humanissime plura per litteras me edocuit, qua-
 rum verba alibi cum eruditis publice communicabimus. Præ-
 terea Wanslebius in frontispicio Lexici Ludolfiani Librum Li-
 turgiarum Æthiopicum a Pocokio acceptum memorat, cuius
 ultimam S. Dioscoro Alexandrino Patriarchæ inscriptam cum
 Confessione Claudii Regis Æthiopiæ edidit. Ille autem Dio-

G

scorus

Scorus alius nec est ab impio illo (heretico) in Concilio Chalcedonensi damnato, quem Æthiopes illius erroribus imbuti ut sanctum colant, docente Cardinali Bona Lib. I. Liturg. c. IX. n. 6. illumque Æthiopum adfectum erga Dioscorum prolixius describit Ludolfus Lib. III. cap. IIX. Commemorant alios quoque Æthiopum sacros libros Ludolfus pariter & Wanslebius, unde huc præsertim spectare videntur Martyrologia & Homilia Patrum, quorum exactiorem notitiam apud illos quærat Lector.

XLII. Nos diu satis in Oriente versati tandem Armenorum undique in eo dispersorum ἀναγνώσματα sacra breuiter considerabimus. Biblia eorum siue a Chrysoftomo, quæ vulgaris fere est opinio, siue a Mose quodam Armeno Grammatico traducta sit, quod contendit Rich. Simonius Lib. II. Histor. Crit. Veteris Testam. c. XVI. & Lib. III. c. XXII. nostra parum refert, sufficitque adnotasse, Versionem eorum Amstelodami anno clc lxxvi. auspiciis primi Armeniorum Catholici *Iacobi* prodidisse. Quam consulat, qui accuratiorem cupit notitiam; nobis ea in præsentis destitutis nihil suppetit, nisi Obadias Armenus, quem Andreas Acoluthus Lipsiæ edidit, ac in Præfatione de Amstelodamensi editione agens, non capitum saltem, sed eorum etiam in certas partes distributionem, distincteque notarum usus meminit. Sed qualia illa sint, ἀυτοψία docebit. Liturgias describit Bona Lib. I. cap. 9. num. 7. Multa quoque Ecclesiasticorum Doctorum scripta in linguam eorum versa ab iis cum lectione Bibliorum coniungi cum Golio adfirmat Hottingerus Analect. p. 334. 335. Quare ad publicam etiam lectionem pertinere videntur, quæ Simonius scribit Lib. II. Histor. Crit. Vet. Testam. c. 16. *Ioannis Chrysoftomi opera omnia Armene reddita habere Armenos.*

XLIII. Veniamus nunc ad Ecclesiam Occidentalem, & secundum methodum hæctenus a nobis receptam primo diuisionem Bibliorum in capita, quotidianarum præcipue lectionum causa factam, deinde pericopas Epistolicas & Euangelicas diebus Dominicis festisque, nec non alia populo publice prælegi solita exponemus. κεφαλαγομετείας diuini Scripturæ apud Latinos
olim

olim hodieque receptam qui animo recte adsequi cupit, duo extrema devitet, necesse est. Alterum est de moderna capitum diuisione, quam antiquissimam & Hieronymi iam tum Augustini- que æuo receptam fuisse nonnulli contendunt, quibus fere subscribit Croius Obseruat. cap. VII. Alterum illorum est, qui totam hanc distinguendi rationem ex Auctorum Librariorumque arbitrio pependisse arbitrantur. Nos mediam ingredimur viam, ostensuri, nec modernam distinctionem admodum antiquam esse, nec olim tamen ex mero arbitrio κεφαλαιομετρίαν pependisse. In priori argumento præiuit nobis Enoch Hanmannus in Disput. de Veteris & Noui Testam. natura, Lipsiæ quondam sub Præsidio summi Theologi Ioan. Hulsemanni habita, qua Croii rationes examinavit, & Codices MStos ab illo citatos ex aliis Argentoratensibus melioris notæ correxit. Scrinia eius nolumus compilare, sed alia subiiciemus, quæ ita comparata sunt, ut utramque illam opinionem facile refellant. De Capitibus V.T. olim apud Latinas vsitatis quatuor præclara exempla attulit Cotelarius in Notis ad Eclogen Græcam Mosaicam supra citatam, To. I. Monument. pag. 713. quæ inde adscribemus, & illustrabimus. Allegat primo *Conflictum Arnobii & Serapionis, qui editus est post S. Irenæum pag. 531. Tu autem qui capitulum loci integrum non protulisti, audi totum caput huius loci, ut credas illud meæ explanationi concordare. Dominus creauit me initium viarum suarum &c.* De Auctore illius scripti varia est inter eruditos opinio, nonnullis Arnobium quendam iuniorem (senior enim Sæc. III. scripsit aduersus Gentes) constituentibus, aliis *anonymum auctorem* cum Labbeo & Alexandro adpellantibus: plerique tamen adsentiuntur opinioni Gerardi Ioan. Vossii, Lib. V. Historiæ Pelagianæ Parte 1. pag. 490. quod Conflictus iste Leonis M. tempore habitus fuerit. Quibus nos etiam subscribimus, donec meliora edoceamur, & firmiter concludimus, Sæculo quinto certam Prouerbiorum Salomonis distinctionem obtinuisse. A nostra autem diversa fuit, ut patet ex Fulberto, qui Sæculo X. in eunte Carnutensi Ecclesiæ præfuit, idemque capitulum citavit loco a Cotelario citato ex fol. 163. *Salomon in proverbis cap. 22.*

Nondum erant abyssi, & ego concepta eram &c. Ea autem in re-
cepta hodie diuisione Capite II X. exstant. Porro venerabilis Beda,
qui Saeculo octauo ineunte floruit, in Commentariis suis etiam
κεφαλαιομετρίαν sequitur; nam Geneseos capita XLII X. numerat,
eaque saepe aliter ac nos orditur, & sic in aliis libris sacris, uti ex col-
latione manifestum. Ad Esaiam spectant, quæ Cotelerius recitat
ex Epistola VII. Leonis III. qui tempore Caroli Magni sedi Ro-
manæ præfuit. *At vero testimonium B. Pauli Apostoli, quod in*
Epistola ad Corinthios protulit: Quod oculis non vidit, nec au-
ris audiuit &c. in Isaia Propheta scriptum habetur, aliis quidem
verbis, eodem tamen sensu. Sic namque scriptum est ibidem, A
saeculo non audiuerunt, neque auribus perceperunt; oculus non
vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te. Requi-
rat prudentissima vestra Imperialis Potentia in capitulo centesimo
septuagesimo, & ita inueniet. Quod Carolo M. & Leoni erat
capitulum CLXX. id nos hodie sexagesimo quarto reperimus.

XLIV. Par differentiae ratio in Noui foederis *κεφαλαιο-*
μετρία deprehenditur. Conradus Gesneus & Ioan. Iac. Frisius
in Bibliotheca pag. 706. referunt, *exstare Priscilliani Canones si-*
ue argumenta & periochas noui testamenti. Is fuit Abilæ E-
piscopus, ab Hieronymo etiam in Catalogo recensitus, qui ta-
men nullum ex scriptis eius nominatim recensuit: nec constat
mihi, an Canones isti typographorum prela vnquam subierint.
Ne autem rationem illorum plane ignoraremus, Iacobi Fabri Sta-
pulenſis fecit diligentia, qui neutiquam diffitetur, Priscilliani di-
uisionem a moderna diuersam esse. Ita enim scribit Præfatione
Commentariorum in Epistolas Pauli: *Et quia maiores nostrorum*
græci, tum latini, Canones his epistolis præfixere, & adhuc
in plerisque vetustis codicibus eos reperire promptum est, apud quos-
dam Græcos Eusebius & Ammonius, apud vero Latinos Priscil-
lianus: ideo & nos (omissis tamen iis, qui sunt Priscilliani, non
solum ob id quod ubique corrupti inueniuntur: verum & insuper
quod eorum numeri nostris non conspirabant) alios præfiximus &c.
Quod autem putat Stapulenſis, Eusebium & Ammonium epi-
stolis Pauli Canones præfixisse, nullus alius siue veterum siue
recep-

recentiorum prodidit, quippe qui omnes consentiunt, in Euangeliis tantum & Eusebium & Ammonium Canones edidisse. Neque ignoti in Occidente fuerunt, postquam usum eorum Hieronymus indicavit, sed Codicibus Euangeliorum Latinis pariter & Anglo-Saxonicis adscripti, ut exemplis aliquot præclare docet Seldenus Lib. III. de Vxore Ebraica cap. XI. & Lib. II. de Synedrionibus Cap. IV. num. II. pag. III. Eiusmodi est etiã Codex folio striato palmi vix latitudinem exæquans, qui Harmoniam Euangelistarum & eius canonem per tabulas & numeros in fronte monstrat, omnia maiusculis & semiuncialibus ferme literis, & a Christophoro Brovvero Lib. II. Annalium Fuldensium cap. IX. inter libros S. Bonifacii ad venerationem in sacrario expositos numeratur. Eadem Canonum Eusebianorum apud Latinos auctoritas liquet ex testimonio Commentarii in Marcum sub Hieronymi nomine (licet falso, fatentibus Bellarmino, Emanuele a Sa, Cornelio a Lapide, cæterisque eruditis) vulgati, quod observavit Cotelærius: *Ducentesimo tricesimo quinto capitulo Marcus signa credentium cum Mattheo & Luca concordans enarrat.* Sic in Calendario Vaticano Allatii (de quo infra plura) Historia Circumcisionis Christi notatur ex *Luce cap. III* ibidemque in *Nocte Quinquagesimæ* signatur *Lectio secundum Marcum cap. CXV. In illo tempore &c.* Eandem *νεφαιλομετρίαν* apud Afros olim obtinuisse cognoscimus ex Augustini effato Tract. 2. in Ioannem: *Capitulum primum præterito die Dominico tractatum esse meminimus.* Quod Iosua Arndius in Lexico Antiq. Eccles. pag. 277. citans subiicit: *Nimirum a Ioanne cap. I. v. 1. vsque ad 5.* Hæc quatuor testimonia si quis cum capitulis Canonum Eusebianorum apud Robertum Stephanum & in Bibliis Polyglottis suo loco signatis contenderit, ad amissum iis quadrare deprehendet, quæ ex Luca & Ioannis Euangeliis adducuntur; in Marco vero exigua est numerorum differentia, quæ forte ex Hieronymi interpretatione manavit. Nam in nocte Quinquagesimæ ex Marco prælegebatur Historia cæci Bartimæi, quæ nostræ distinctionis cap. XV. v. 46. incipit: in Calendario Vaticano capitulum *CXV.* notatur, quod in Græco est *εἰς i. e. CXVI.* Et capitulum

lum CCXXXV. a Pseudo-Hieronymo citatum in Græco est $\sigma\lambda\zeta$
CCXXXVI. Quæ dum scribimus, Ampliss. Lipsiensium Senator
Carpzouius ex instructissima Bibliotheca sua transmittit insi-
gnem & haud obuium librum, a Ioan. Frontone Parisiis an. clo
læ LII. sub titulo *Kalendarii Romani* editum, quod in Præno-
tatis S. M. Sæculo octauo *intra tempora Gregorii II. & Grego-
rii III. factum* editor censet. In eo autem omnes lectiones
secundum numeros Eusebianos notantur, & quæ supra diximus
egregie confirmantur, nisi quod Lectionem in nocte Quinqua-
gesimæ non habet; capitulum tamen Marci CXXXV. *Feria V.
in Ascensa Domini* legendum adsignat: cætera autem eiusdem
Euangelistæ plane ad normam Græcorum numerat,

XLV. Moderna Biblicorum capitum distinctio, quæ in
Pontificiis Bibliis vbique locum habet, sæculo decimo tertio non
est antiquior, siue confecta sit ab Hugone de S. Caro, Cardinali, qui
circa medium istius sæculi claruit, uti Sixtus Senensis censet Lib.
IV. Bibliothecæ Sanctæ, plurimis nostratum Doctorum adstipu-
lantibus: siue a Stephano Langthon, cui Ioannes Balæus ex amore
patriæ suæ Centuria III. Scriptor. Britann. pag. 275. illud inuentum
tribuit. Consule de utroque Ioan. Buxtorfii Præfat. in Concor-
dantias Ebraicas. Sunt autem non pauci ex viris doctis, qui nec
Hugoni, nec Stephano laudem hanc tribuunt, sed rem in medio
relinquunt, ut Ferdinandus de Escalante in Clypeo Concionato-
rum pag. 615. quem citat Hottingerus in Thesauro p. 221. & in A-
nalectis pag. 337. idem fere iudicium fert. Præterea minus com-
mode nonnullis in locis hanc distinctionem institutam esse scite
post alios docent Ioan. Raynoldus de Ecclesiæ Romanæ Idolola-
tria pag. 596. Heinsius Exercit. Sacr. cap. XIV. p. 65. & Alexander
Morus Notis in quædam loca Noui Fœderis, ad Ebr. XI. 40. p. 404.
Quare Lutherus noster eam non vbique in sua versione expressit,
sed quodcumque res postulabat, meliorem distinctionem sub-
stituit. Quo vid. Waltherus in Officiis Bibl. p. 236. Lutheri ex-
emplum imitati sunt Iunius & Tremellius, differentias translatio-
nis eorum colligente Hottingero in Thesauro pag. 223. At quum
in Synodo Dordrechtana de noua versione Belgica deliberaretur,
inter

inter alia etiam Sessione XII. querebatur, an distinctio capitum & versusum accuratior in multis locis adhiberi non debeat? Ac statutum fuit, receptam capitum ac versusum distinctionem seruandam esse: ubicunque autem mutatio quedam necessaria esse videbitur, eam in margine esse annotandam, vt liquet ex Actis To. I. p. 30. edit. Lugd. Bat. an. MDCCC. XX.

XLVI. De origine autem Epistolarum & Euangeliorum, in diebus Dominicis ac festis receptorum, Latini scriptores sibi non constant. Multi more suo Pontificibus Romanis quoduis præclarum in sacris ritibus institutum acceptum ferentes, hoc etiam loco Alexandrum I. nominant, qui secundo sæculo adulto Romanæ Ecclesiæ præfuit. Sed Leo Allatius Dissert. I. de Libris Eccles. Græc. p. 49. non solum ex Iustini Martyris Apologia, sed etiam ex Clementis Constitutionibus & Iacobi Liturgia (de quibus sententiam nostram supra exposuimus) colligit, quantum fallantur ii, qui Lectiones Apostolicas ante Euangelium in celebratione Missarum constituisse Alexandrum Papam assueverant, cum Iacobus, Clemens & Iustinus Alexandrum præcesserint. Alii ad Hieronymum referunt Lectionum ordinationem, vt videre est apud Cardinalem Bonam Lib. II. Liturg. c. VI. n. 2. & Allatium in citata Dissertatione pag. 53. Et quamuis dissentire videatur Bona, Hippolytum & Augustinum, lectionum certarum mentionem facientes obiiciens, statim tamen adiicit, *credibile esse, Hieronymum suum Lectionarium per singulos dies distributum ordinasse iubente Damaso Papa, qui ordinem illum in Romana Ecclesia seruari præcepit, ex qua ad alias dimanauit.* Agnouit igitur tacite Cardinalis, supposititiam esse Damasi ad Hieronymum de Psalmodia Epistolam, quam inter Pseudepigrapha reiecit Marianus Victorius, & spuriam probauit Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 515. 516. adductis etiam Bellarmini Binique suffragiis. In ea enim mentio fit istarum pericoparum, tanquam ante Damasum receptorum. Adferemus verba correctius, quam apud Blondellum, edita per Ioan. Conr. Dieterichium in Breuiario Pontificum pag. 73. ex Flaccii Inuect. in Brun. pag. 328. *Tanta apud nos simplicitatis imago est, vt tantum in die Dominica Apostoli epistola recitetur vna, & Euang.*

Euang.

Euangelii Capitulum vnum dicatur, & nec psallentium mos teneatur, nec hymni decus in ore Sacerdotum cognoscatur. Præterea non desunt hodie inter Pontificios, qui consuetudinem literarum circa libros inter S. Damasum & Hieronymum ex epistolis publicae nullatenus ostendi posse censent, quemadmodum videre est apud Schelstratium Antiq. Eccles. Illustr. Dissertationis præuiæ Cap. II. pag. 16. vt maximæ sane difficultati sit inuoluta Cardinalis Bonæ adsertio.

XLVII. Cæterum Hieronymi liber *Comes* inscriptus admittitur sine dubitatione a Moynio To. II. Var. sacr. pag. 955. editusque est a Iacobo Pamelio To. II. Liturgicorum. Sed quod cæteris ritualibus libris, id huic etiam fatum obrigit, vt pro ratione temporum varie sit interpolatus & auctus, cuiusmodi erat procul dubio Schultingii Codex a Bona laudatus, *multo amplior edito a Pamelio.* An autem Pamelii editio ætati Hieronymi congruat, videant, quibus illa est in promptu. Singularis Ioan. Mabillonii obseruatio in Præfat. ad Liturgiam Gallicanam non est silentio inuoluenda, quando *de libro Comitæ, indicante lectiones ad usum ecclesie Romanæ, mentionem fieri testatur in charta Cornutiana, quæ Leone Augusto IV. & Probianò Coss. seu anno Christi CCCCLXXI. data sit.* Eadem docet Carolus du Fresne in Glossario V. *Comes*, additque, ex Prologo Comitæ ad Constantium, qui sub Hieronymi nomine a Dacherio To. XIII. Spicilegii p. 253. editus sit, cuius tamen *ἡνωθέντι* in medio relinquit, patere, ante Hieronymum librum istum iam tum editum fuisse. Commemorat etiam antiquum Comitæ MStum, quod Sæc. IX. *auctum sit a Theotimbo indigno Presbytero*: vnde patet veritas eorum, quæ antea diximus, & omnibus ritualibus antiquorum libris communia sunt.

XLIX. Porro vt rationem Ecclesie Occidentalis in lectionibus Dominicalibus & festiualibus ordinandis recte cognoscamus, primo omnium Romanæ Ecclesie consuetudo explicanda nobis venit. Vbi operæ pretium est distinguere cum Mabilloniò Lib. I. de Liturgia Gallicana cap. II. inter *triplicem statum seu ordinem Romanæ Liturgie.* *Vnus illi dicitur primigenius ab Ecclesia*
sis

*sua nascentis exordio ad Gelasium vsque receptus, de quo addit. :
Qualis fuerit primigenius ille, non omnino constat. Quibus ver-
bis vno impetu prosternit omnes conatus, quos Guilielmus Lin-
danus, Claudius de Sanctes, Gentianus Heruetus, Gilbertus Ge-
nebrardus ac similes Pontificiae religionis Atlantes pro adserenda
vindican daque Petri Apostoli Liturgia insumserunt. Quorum
nonnulli cum Ioan. Alberto Widmanstadio in Epilogo Elemen-
torum linguæ Syriacæ, Gabriele Sionita in Epistola ad Nihesium
& Abr. Ecchellensi Notis in Ebediesu Catalogum, ad Syros etiam
provocant, sed frustra, vt in simili argumento euicimus num. XXX.
Mira certe est mutatio, quæ intra hos centum annos Ecclesiæ
Pontificiæ Doctorum animos occupauit, vt quod anno clæ lxxx.
a Lindano primum tanto suorū adplausu ex Bibliotheca Regis Gal-
liarum edebatur scriptum Liturgicum sub illustri Petri nomine, id
hoc tempore a Gallicanæ præsertim Ecclesiæ Theologis pro dubio
aut suppositio habeatur, vt videre est apud Labbeum Tom. II.
Dissert. de Script. Eccl. pag. 178. & Natalem Alexandrum Synopsi
Sæc. I. cap. XI. Artic. 1. pag. 80. 81. Nec Romæ hodie aliter sen-
tiunt, vt patet ex Cardinali Bona Lib. 1. Liturg. c. IIX. imo de ple-
risque Catholicis id affirmat Auctor libelli Gallici, *Remarques sur
vne Lettre de M. Spon*, ante quadriennium Lugduni editi p. 147.
*Les Liturgies de saint Pierre & de saint Marc sont rejetées com-
me faussement attribuées a ces Apôtres par presque tous les Catho-
liques.* De cætero dubitari nihil attinet, quin Apostoli vt in re-
liquis Ecclesiis ita & in Romana sacrorum librorum lectionem
instituerint. Sed an id Paullus fecerit, an Petrus, quem Ro-
mam vnquam venisse multidubitant, nostrum non est hoc lo-
co definire.*

XLIX. *Secundum ordinem Liturgia Romana* Mabillonius
us vocat *Gelasianum*, qui auctorem seu amplificatorem habeat
Gelasium Papam eius nominis primum. Equidem caute sub di-
stinctione loquitur Mabillonius, cui non minus quam Schel-
stratio *Concil. Antioch. Illustr. p. 288.* erat perspectum, quod
Antiquus Catalogus tempore Iustiniani Imperatoris conscriptus,
(ex Schelstratii nempe sententia, quam vacillare alibi ostendi)
habeat

babeat in Gelasio: hic fecit Sacramentorum prefationes e auto sermone: Vnde addit Schelstratius. videtur Sacramentarium illud non tam a Gelasio confectum, vt putabat Morinus, quam ab ipso Gelasio illustratum, aut prefationibus seu titulis exornatum. Ioannes Morinus tum in ipso Opere de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ aliquoties, tum in Appendice pag. 52. mentionem facit Sacramentarii Petauiani, quod a possessore ita vocauit, ab auctore Gelasianum dici posse cõiticiens, quia solus Gelasius Papa officia diuina ante S. Gregorium instaurasse perhibetur: idque ex libro Pontificali & Ioannis Diaconi vita Gregorii probat in eadem Appendice pag. 54. Porro Cardinalis Bona Lib. II. Rer. Liturg. cap. V. n. 4. suspicatur in Codice isto, qui nunc est in Bibliotheca Regina Suecia, ordinem Gelasii contineri, adeo multa habet diuersa a Gregoriano, nisi forte ex vtroque mixtus sit. Tandem ex eodem MSto Romanis typis vulgatus est Gelasianus ordo a Iosepho Maria Thomasio, adplaudente Mabillonio, anno clc lxx. Nobis non licuit esse tam felicibus, vt Sacramentarium illud oculis vsurparemus. moremque sacrarum lectionum Gelasii tempore in Romana Ecclesia receptum inde disceremus: quare aliis eam curam iudiciumque de toto isto opere ferendo libenter relinquimus.

L. Non melior nobis adfulsit fortuna in Gregoriano Sacramentario acquirendo, quem *tertium Liturgiæ Romanæ ordinem* nuncupat idem Mabillonius, *ita dictum ex nomine Gregorii Magni, qui Gelasianum ordinem correxisse memoratur.* Notimus quidem, in editione Operum Romanæ, quæ Sixto V. Papa auspice prodit, & in aliis hinc enatis, Parisiensi præsertim an. clc lxx. To. V. contineri *Librum Sacramentorum de circulo anni expositum a S. Gregorio Papa, eundemque Tomo. II. Liturgicum Pamelium* inseruisse. Nec quenquam eruditorum fugit, auctius & correctius illud Gregorii opus Parisiis an. clc lxx. edidisse Hugonem Menardum. Nostamen aliam editionem scriptorum Gregorianorum hoc tempore nãtiscari non potuimus, quam Parisiensem an. clc lxxviii. in qua Sacramentarii nec *vola* existat nec vestigium. Cæterum de eo verũ est, quod de omnibus

bus Ceremonialibus enunciat Morinus Lib. IX. de Poenit. c. 30.
 n. 2. illa quo recentiora, eo ceremoniis esse auctiora, & magis dita-
 ta. Neque aliter de editione etiam Menardi sentiunt doctiores,
 quorum testimonia alibi produximus. Quibus nunc addimus
 Ioan. Launosum in Iudicio de Controuersia super exscribendo
 Parisiensis Ecclesiae Martyrologio exorta pag. 83-84, qui diserte
 ait: *Sic purus puteus non est Gregorii liber Sacramentorum, pro-
 ut ex Missali MS: sancti Eligii in lucem prodit.* Quae prolixius
 confirmat in Appendice cap. XIV. Illustre porro interpolati-
 onis exemplum ab ipso Menardo notatum clarius monstrat,
 Ioan. Dallæus de Cultibus Latinorum religiosi Lib. IV. c. XI,
 idemque Lib. IX. c. IIX. adfert Walafri Strabi de rebus Eccles.
 cap. II. testimonium, qui sua iamtum ætate (Sæc. IX.) de libro
 Gregoriano scribit: *In quo si aliqua inueniuntur ad hunc sen-
 sum claudicantia, non ab illo inserta, sed ab aliis minus diligen-
 tibus postea credenda sunt superaddita.* Cæterum Lambecius
 lib. II. Commentariorum pag. 299. adserit in Bibliotheca augu-
 stissima exstare Codicem eiusdem Sacramentarii Carolo M. ab
 Hadriano Papa transmissum, qui ex authentico libro Bibliothecæ
 scriptus dicatur, eumque ab editione Menardi discrepare fa-
 tetur Lambecius Additamento IV. pag. 1003.

LI. Nos & Gelasiano & Gregoriano Sacramentario
 destituti nolumus quidquam temere de pericopis in Romana
 Ecclesia diebus Dominicis festisque minoribus prælegi exponi-
 que solitis adfirmare. Equidem de maioribus festis, quæ benefi-
 cia Dei in nouo fœdere descripta celebrant, facile dixerim, a
 prima eorum apud Latinos origine seu institutione historiam,
 quoque publice prælectam esse, ut in festis Ascensionis, Penteco-
 stes, Natalis Domini, Epiphaniæ & similibus. Quod tum aliun-
 de probari potest, tum ex *Kalendario Dominicarum, Sanctorum,
 & Feriarum totius Anni, ad usum Breuiarii Romani e Biblio-
 theca Vaticane Codice antiquissimo, ante nongentos annos de-
 scripto, cuius editionem debemus Allatio Dissert. de Dominicis
 Græcorum num. XXXVII, antiquitatem autem erudite adser-
 tam Moynio To. II. Var. Sacr. p. 889. 900. In eo Lektionen*



Euangelicæ ad Natalitium Christi festum pertinentes hunc in modum describuntur: *Vigilia Domini, ad IX.* (nonam diei horam, quæ nobis est a meridie tertia) *Cum esset Desponsata. Item ad S. Mariam in nocte. Exiit edictum. Item ad S. Anastasiam. In illo tempore Pastores. Nat. Domini ad S. Petrum. In principio erat.* Prima lectio secundum hodiernam capitum diuisionem reperitur Matth. I. a versu 18. secunda est vulgo cognita ex Luc. II a v. 1. ad 15. Tertia ex eod. capite a v. 15. ad 21. desumpta est. Quarta initium Euangelii Ioannis continet. Sequitur in eodem Kalendario *Octaua Domini*, quæ nobis hodie circumcisionis festum dicitur, sed Pericope Euangelica non est alia quam nostra, licet ex veteri Latinorum *νεφαιλομετρία*, vt diximus, desumpta: *Secundum Lucam cap. III. In illo tempore. Postquam consummati sunt dies octo.* Et nonnullis interiectis: *IV. Non Febr. Vppopana, in Euangelio, In illo tempore. Postquam impleti sunt.* Legebatur istud Euangelium in Græca etiam Ecclesia festo *ὑπαπαντῆς* vel *ὑποπαντῆς*, (vtrouque enim modo scriptum habetur) vnde in Calendario Latino restituendum, *Hypopanta*. Hinc confirmari poterit Morini obseruatio, Lib. IX. de Poenit c. 32 n. 23. *Certum est, & experientia teste deprehenditur vtriusque Ecclesie ritus quo antiquiores sunt, eo similiores esse.* Quamobrem non dubitamus adserere, in Romana etiam Ecclesia non minus quam in Græca Hippolyti ætate receptas fuisse Paschales lectiones, quas ex Canone eius Paschali supra descripsimus num. XX. Cæteras festorum Lectiones Euangelicas Frontonis Kalendarium continet. LII. De reliquis autem Pericopis, quæ Sanctorum festis & Dominicis diebus adsignantur, certi nihil mihi licet statuere. Non obtinuisse antiquioribus sæculis in Rom. Ecclesia in vniuersum modernam Lectionum e Scriptura depromptarum seriem, & consentiunt eruditi & ex Altatii Kalendario potest ostendi. Nihilominus aliqualis particularisque pristini & hodierni moris conuenientia in Leonis M. homiliis deprehenditur. Equidem facile assentior Samueli Petito, qui Lib. III. Variarum Lectionum cap. IV. pag. 94. ex Leonis sermone IV. de Quadragesima probat, *Lectionem illius diei, quo hunc sermonem habuit Leo, fuisse petitam*

ex/exo

ex sexto capite posterioris Epistolæ ad Corinthios, quæ erat Leo-
tio Dominica prima in Quadragesima, idque non tantum apud
Romanos, ut constat ex illorum ritualibus libris sed etiam apud
Orientis populos. Quando autem non desunt, qui Gregorii Ma-
gni ætate Evangelia Dominicalia hodierna recepta fuisse ex eius-
dem quadraginta homiliis sibi persuadeant, de iis quoque sen-
tentiam meam explicabo. Quod Gregorius auctor sit, præfracte
dubitare nolo, sed eruditis Gallis accedo, qui characteres styli do-
ctrinæque Gregorianæ in iisdem deprehendi docent To. II. E-
phemeridum pag. 80. 81. vers. Latinæ. Verû inscriptiones homiliae
rum integras Gregorii ætatem sapere, nemo credet, qui consi-
derauerit, Gregorii M. ætate nec Dominicas post festum Trini-
tatis, nec Aduentus moderno more fuisse recensitas; qui tamen
in istis epigraphis reperitur. Quare eas quoque pro spuris ha-
bet Fronto Prænot. in Kalend. §. IX. Sed inter Gregorium ta-
men & Carolum Magnum hodierna Euangeliorum series
maximam partem disposita ac ordinata fuit. Quod iterum mon-
strat Kalendarium a Frontone editum. In eo enim secundum
capitula Eusebiana eodem plerunque ordine, veteri tamen deno-
minatione retenta, Evangelia Dominicis diebus legenda præscri-
buntur, qui hodie seruat. Non in omnibus autem ista con-
uenientia reperitur. Ibi enim die sabbathi ante Hebdom. VI.
post Theophania assignatur Euangelium secundum Lucam cap.
LXVII. quod ex cap. VII hodie Domin. XVI. post Trin. exponi
solet. Tum Domin. VI. VII. VIII. IX. & X. post Theophaniam
singulares Euangelicæ lectiones reperiuntur, quæ nunc plane in
usu esse desierunt, exceptis duabus postremis, quarum prior hodie
Domin. XX. post Trin. adhibetur, posterior autem Domin. Re-
miniscere; neutro autem loco in isto Kalendario reperitur. Sic Do-
minicæ X. post Trin. qua historia lacrymarum Christi iam rece-
pta est, respondet ibi Dominica V. post Natal. Apostolorum, Eu-
angeliumque habetur secund. Luc. cap. CXXI. *Quidam Iuris-*
peritus surrexit tentans eum, vsque, vere filius Dei es. Quis i-
gitur ad modernam tandem seriem omnino perduxerit has le-
ctiones, difficile dictu est. Equidem Lctionarium Caroli M.

cura & mandato emendasse Paullum Diaconum & Alcuinum, cum Mabillonio To. V. Vitarum SS. Ordinis S. Benedicti p. 767. obseruat du Fresne V. Comes; sed verba tamen diplomatis Carolini, quæ idem V. *Lectioarium*, exhibet, ad Lectiones potius ex Patrum scriptis petitas respicere videntur. Nihilominus constat, Carolo iubente Paullum Diaconum explicationes Euangeliorum ex Patribus sub *Homiliarii* nomine collegisse, vt monstrat Caroli præfatio, quam Mabillonius To. I. Analectorum p. 25. edidit ex editione Homiliarii Spirensis an. clo cccc lxxxii. quam ipso docente rarissimam mihi nuper videre licuit in Bibliotheca Ecclesiastica Sondershusana. Sunt & aliæ editiones auctiores, vt Basileensis anni clo cccc xciii. & Coloniensis an. clo l. lv. Existant quoque Haymonis, qui Sæc. IX. Halberstadiensium Episcopus fuit, Homiliæ in Euangelia, commemoratque Mabillonius T. I. Analect. p. 215. MS. Codicem, qui complectatur Expositionem Haymonis in Epistolas per totum annum in Missa recitari solitas. Plura de vniuerso hoc negotio suppeditabit Celeberrimus hodie Cygneæ Antistes Caspar Loescherus, in peculiari de his Pericopis Dissertatione Sondershusæ habita, quum adhuc illi Dioecesi præesset.

LIII. Ad Gallicanam Ecclesiam pergimus, cuius certa documenta vt proferre in nostro argumento queamus, fecit diligentia Mabillonii in Libris de Liturgia Gallicana Parisiis hoc anno labente editis. Nam libro secundo exhibet vetustissimum *Lectioarium* in Ecclesia Gallicana ante mille annos receptum, ex Codice Luxouienti, cuius antiquitatem e characteribus pariter, qui Merouingicam referunt scripturam, & contentis euincunt in præfatione num. V. & VII. Omnes pericopæ latina lingua conceptæ sunt, probeque de iis notandum Mabillonii effatum: *Lectiones ex scriptura nec multum recedunt a Vulgata nostra, nec omnino cum illa conueniunt. Varietates insigniores in fine Operis refert a pag. 471.* Plura notatu digna suppeditat Mabillonius initio libri secundi, postquam libri primi capite IV. n. 4. ex Cæsario Arelatensi notauerat, in Gallicana Ecclesia ternas lectiones Missam præcessisse, nimirum vnã ex Prophetis, alteram ex Apostolo Paulo, tertiam ex Euangelis desumptam, easque seculo

eulo quinto a Museo presbytero Massillensi in ordinem redactas numero 5. probau erat ex Gennadii Catalogo cap. 76. de uiris illustribus, qui refert eum hortatu sancti Venerii Episcopi sui excerptasse ex sacris Scripturis lectiones totius anni festiuis aptas diebus. Quæ porro explicat in Disquisitione de Cursu Gallicano, quæ tertio libro subiuncta est, pag. 406. Operæ sanè pretium facient, qui librum lectionarium accuratiori studio eueluent: siquidem facile obseruabunt, pericopas tam Euangelicas, quam epistolicas eo contentas in paucissimis diebus cum hodierna serie conuenire, in plurimis, Dominicis præsertim diebus, planè diuersas esse. Quod hoc loco ostendere spatium dissertationis non capit, quum per totum librum recensio foret instituenda. Cæterum ordo iste Lectionum in Gallia obtinuit usque ad Carolum Magnum, qui Gregorianum Sacramentarium ab Hadriano Pontifice nactus Romanam consuetudinem tam in lectionibus quam Eucharistiæ celebratione sequendam Francis præscripsit, quemadmodum post alios plurimos obseruauit Mabillonius tum in Præfatione laudati operis, tum lib. I. cap. III. cui præcæteris iungi uelim Dallæum de Cult. Latin. Relig. lib. IX. c. 13. Quo fit, ut hodiernum sacrarum Lectionum ritus in Ecclesia Gallicana usurpetur ex præscripto Breuiarii Romani Parisiis excusum an. cl. lxxvii.

LIV. Hispani olim quoque peculiarem diuinæ Liturgiæ rationem peculiareque Lectiones sacras obseruabant, quæ sub *Officii Mozarabici* nomine comprehenduntur, causa adpellationis petita ex commixtione Christianorum & Arabum pristinis temporibus in Hispania locum habente. Disputatur inter eruditos, an Isidorus Hispalensis sæculo VII. Episcopus illius officii auctor sit, dubitante Mabillonio Disquis. de Cursu Gallicano num. 17. 18. qui dum ad Cardinalis Ximenii editionem (deletis characteribus Gothice s. impressam Latinis Toleti an. c. 1530.) respicit, non uidetur obseruasse, quod ex Roblasio in uita Ximenii cap. 32. refert Dallæus de Cult. Latin. Relig. Lib. V. cap. III. multa ibi ex recentiorum Officiorum ritu addita fuisse. Qui plura de Mozarabum Missali desiderat, adeat Georgii Cassandri Epistolæ num. XIV. XV. XVI.

XV. XVI. & CX. Gasparis Sanctii Tractatum de Prædicatione S. Iacobi in Hispania, Card. Bonam lib. I. Rer. Liturg. cap. XI. & de diuina Psalmodia cap. XIX. n. XI. Mabillonium de Liturg. Gallic. Lib. I. cap. II. & IV. Nos saltem obseruamus, quantascunque mutationes id subierit Ximenii temporibus, remansisse tamen (in plerisque forsan) Lektionen ex diuini scriptura olim receptas. Quod clare liquet ex Obseruationibus Mabillonii ad Lektionarium Gallicanum, & Appendice prima eiusdem Operis, pag. 440. vbi duas integras Missas Mozarabicas attulit, quarum neutra lectiones hodie receptas habet, nisi Euangelium in Natiuitate Christi ex Luc. II. quod in posteriori præscribitur. Porro hoc Mozarabum Officium in Hispania permansit vsque ad Gregorium VII. Papam famoso Hildebrandi nomine notum, qui præter alia intolerabilis fastus indicia Romanum quoque Liturgiarum morem Hispanis obtrusit, non sine maximis turbis, fatente ac decente Cardinali Bona. Conf. Dallæus Lib. IX. citati Operis cap. XXIII. extremo. Cardinalis autem Ximenius in sacello Toleti a se exstructo Mozarabico ritu quotidie Liturgiam celebrari instituit, idque in aliis nonnullis Hispaniæ locis fieri docet Bona: Pontificis autem consilium in eiusmodi permissione callide expositum describit Dallæus cap. XXIV.

LV. Riturum sacrarum Lectionum in Africana Ecclesia olim vsitatum ex totius Liturgiæ consuetudine diiudicandum esse non immerito dixeris. Hanc *similem fuisse Mozarabico* existimat Cardinalis Bona Lib. I. Liturg. cap. 7. n. 3. quod si admittamus, Lektionen ex Mozarabico officio descriptas Afris quoque tribuamus necesse est. Verum Schelstratius Dissert. II. de Ecclesia Africana cap. VI. num. 6. contendit, *quatuor primis seculis antiquam Romanam Missam in Africa fuisse susceptam*: primumque argumentum petit ex Tertulliani, Cypriani & Augustini testimoniis de Scripturarum lectione apud Atrios vsitata, quod acrius urget Mabillonius Lib. I. de Liturg. Gall. c. II. extr. *Cum in ordine Mozarabico semper due Lektionen ante Euangelium, una ex veteri Testamento, alia ex nouo præmittatur; unica erat in Africano, teste Augustino in sermone 8. de verbis Apostoli: Apostolum audiuimus*

uimus, Psalmum audiuius, Euangelium audiuius: consonant
omnes diuinæ lectiones. *Idem clarius habetur in sermone 10. de
verbis Apostoli, & in sermone 33. de verbis Domini secundum Lu-
cam, & alibi.* Qui sumtuosis Augustini Operibus destituuntur,
duo ista loca exscripta reperient apud Ioan. Hoornbeekium Lib.
I. Miscellan. cap. 9. num. 5. De quotidianis autem sacrorum li-
brorum lectionibus Augustini Enarrationes in Euangelium & E-
pistolas Ioannis abunde testantur, planeque notatu dignus est pro-
logus Expositionis in illam Epistolam, vnde perspicuus, certas
quoque pericopas in Ecclesia Africana diebus festis fuisse adsi-
gnatas. Non negat autem Schelstratius post Barbarorum in A-
frica incursionem mutatos esse ritus Ecclesiasticos, nec absurdum
forte fuerit existimare, Mozarabum quoque officium aliquando
ibi viguisse, quod de Afris suæ ætatis refert Iacobus de Vitriaco,
sæculi XIII. scriptor, cap. 81. de Historia Orientali. Denique
de moderno rituum Africanorum statu non est quod solliciti si-
mus, quum miserrimam ibi Christianorum conditionem ex Gra-
mayo explicarit Schelstratius Dissert. IV. cap. VII.

LVI. Suadet Pietas in patriam, vt ritum sacrarum Lectionum ap-
Germanos vsitatum silentio non inuoluamus. Primi in Germania
Christiani de quibus constat, vel Romanorū, vel Francorum imperio
subiecti erant, vt docent Celeberrimi Polyhistores, Conradus Sa-
muel Schurzfleischius in Dissert. ad capita Historiæ Saxonicæ,
& Caspar Sagittarius in Antiquitatibus Christianismi Thuringici.
Quare non dubium est, quin sacros ritus apud illos populos, qui-
bus subiectionis politicæ & Ecclesiasticæ respectu iungebantur,
receptos ipsi quoque imitati sint; ita quidem vt ante Christia-
nismum a Constantino & Clodoueo susceptum posterior tantum
respectus valuerit. Quo posito, ex præcedentibus obseruationi-
bus nostris aliquo modo licet coniecere, quid apud Germanos in
sacris olim conuentibus lectum fuerit. Neque enim suppetunt
certa scriptorum testimonia, quibus insistere queamus. Audio,
a Mabillonio Tomo quarto Analectorum hoc ipso anno Parisiis
edito nonnulla publicata esse, quæ lectionum sacrarum apud
veteres Germanos rationem complectantur, sed qualia sint, ob
libri nondum ad nos perlati defectum edisserere non possum.

I

De

De Gothis tamen & Saxonibus, nobilissimis veteris Germaniæ
pöpolis quædam adicere nihil vetat, quando præsertim Gothos
inter maiores suos numerant Thuringi. Quatuor enim Eu-
angelia Gothica & Anglo-Saxonica coniunctim ediderunt Fran-
ciscus Iunius & Thomas Mareschallus Dordrechtian. cl. l. c. l. xv. ea-
que Bibliopolæ Amstelodamenses superiori anno recudi fece-
runt. Equidem nihil dubitamus, quin Gothica versio sit ab Vla-
phila, Gothorum Sæc. IV. Episcopo, confecta, utpote quem So-
crates, Sözomenus, Theodoretus, Philostorgius, & cæteri Histo-
riæ Ecclesiasticæ scriptores plerique, eo nomine laudant. Publi-
cata autem est ex Codice vetustissimo Gothicis litteris argenteis
aureisque exarato, quam in rem multa videre licet cum apud i-
psos Editores, tum in Ephemeridibus Eruditorum Gallicanis To-
II. pag. 247. edit. Lat. & apud Ioan. Saubertum Prolegom. Tra-
ctatus de Variis Lectionibus Matthæi pag. 43. 44. Porro in præ-
stantissimo isto libro *unam aut alteram initialem lineam cuius-
que κεφαλῆς sine imematis maioris aureis litteris pingi mo-
net Mareschallus in Observat. pag. 389. idque ad modum Ca-
nonum Eusebianorum fieri innuit. Sed quum ista Codicis MS.
κεφαλῶν μετρίᾳ in impressis, non conspiciatur, sitim nostram re-
stringere non possumus ut in versione Anglo-Saxonica, utpote cu-
ius Rubricas CXC. sectionum Evangelicarum indices, numerat pro-
lixèque illustrat Mareschallus a pag. 508. Has omnes suis locis
in ipso Euangeliorum Codice insertas verbisque Anglo-Saxo-
nicis expressas legimus. Cæterum quia Mareschallus nihil de an-
tiquitate versionis Anglo-Saxonice definire voluit, pari incertitudi-
ne rubricas etiam involutas esse patet. Non dubito tamen Sæc. XI.
minimum eas receptas fuisse, dum perpendo testimonia de Codi-
ce istius translationis Cantabrigiensi pag. 490. & 491. a Mare-
schallo adlata. Hodie Germania nostra in tres potissimum se-
ctas diuisa est, Pontificiam, Calvinianam & Lutheranam. Pon-
tificii Germani Lectionibus Romanis in Breuiariis ac Missalibus
descriptis mordicus adherent. Calvinianorum multorum pala-
tium non sapiunt certæ Euangeliorum ac Epistolarum pericopæ
Dominicales, ut videre est apud Gisbertum Voëtium in Politica Ec-
clesiastica, cuius φλυαρίας discussit D. Loescherus: cæterorum
vero*

vero instantiis Henrici Altingii copias merito opposuit D. Mayerus, qui Nostratum quoque sententiam ex Lutheri, Gerhardi, Dannhavveri aliorumque scriptis egregie explicavit & asseruit.

LVII. Cæteri Europæ populi quum hodie certam quandam ex illis tribus Religionibus amplectantur, & de ritibus eorum antiquis ad Lectionum sacrarum elucidationem facientibus exigua superent indicia, de solis Moscovitis siue Russis aliquid adiciemus, plura desiderantes remissuri ad Dissertationem de Ritibus Ecclesiasticis Moscovitarum sub Ioan. Ern. Gerhardi præsidio Ienæ ante viginti annos habitam. Prodierunt Moscovitica Biblia Ostrobiae an. c. d. l. lxxxvi. aitq; Simonius in Histor. Crit. V. T. Lib. II. c. 16. *Russos nuper Russica lingua & Russicis Characteribus Scripturae versionem typis mandasse; verum neutra editio nobis præsto est. Quomodo autem Moscovitæ legere aut stentorea potius voce canere soleant pericopas Dominicales & festivales, exponit Adam Olearius in Itinerario Lib. III. cap. 25. & libro I. c. 5. adnotat, signum lectionum (quotidianarum) esse guttulam ceræ; cuiusmodi Codicem habet Ioan. Saubertus, eumque prolixè describit Prolegom. Var. Lect. in Matth. pag. 46. & in Appendice pag. 244. 245. de pericopis anniuersariis apud Russos vsitatis nonnulla haud proleptaria profert.*

LIX. Quod supra de specialissimo Lectionum Tempore in Ecclesia Græca obseruauimus, idem & in Latina moris fuit. Sic Morinus in Appendice Operis de Pœnitentia rationem reconciliandi Pœnitentes infirmos ex vetustis codicibus describens varias etiam Lectiones ex sacris litteris adhiberi solitas adfert. Præterea Ioan. Baptista Casalius de veteribus Christianorum ritibus P. II. cap. V. pag. 53. scribit: *Ante Baptismum similiter dicebantur lectiones, & orationes variæ Baptismi necessitatem & dignitatem indicantes, ut ex S. Gregorio Magno, lib. de Sacrament. titulo de Sabbato Pasche. Inde originem traxit nostrarum Ecclesiarum mos, quæ ante baptismum Euangelium S. Marci cap. X. v. 13. 14. 15. 16. recitare solent. Quid in Sponsalibus Nuptiisque celebrandis apud Latinos Anglosque ex sacris litteris lectum fuerit, exponit Seldenus Vxor. Ebr. lib. II. c. 26. 27. Plures Lectiones in ordi-*

nationibus, Natalitiis Episcoporum, similibusque occasionibus olim recitari solitas in Kalendario Frontonis Romano & Lektionario Mabillonii Gallicano reperire licet. Quid autem hodie apud Nostrates, Pontificios, Reformatosque usu receptum sit, eorum Ritualia docent, quæ passim prostant, & maximam partem recensentur a Gisb. Voëtio Parte I. Polit. Eccles. Lib. II. Tract. I. a pag. 346.

LIX. Legebantur & alia in Ecclesia Latina, ut Patrum homiliae, quæ sæpe Codicibus Bibliorum MStis reperiuntur adnexæ: nec alium in finem Homiliarius Patrum a Paulo Diacono iussu Caroli M. confectus est: & Gregorii Magni locum ex lib. 10. epistola 22. refert Mabillonius Disquis. de Cursu Gallicano pag. 387. Similemque ex eiusdem Gregorii lib. 7. epist. 29. illustrat Fronto Prænot. ad Kalend. §. III. Porro Acta Martyrum diebus eorum Natalitiis publice prælegebantur, quod supra num. XXIX. laudati Aëtiorum editores quamplurimis exemplis confirmant, Mabillonius autem in citata Disquisitione p. 385. 386. in Ecclesia Romana prioribus sæculis non obtinuisse probat ex Gelasii decreto apud Gratianum, quod ab ipso Gelasio constitutum esse ex antiquis MStis vult euincere, additque *eundem morem carpere videri antiquum auctorem, qui acta Sanctorum Cantianorum scripsit, & circa finem operis eius pag. 467. ex Codice MS. Obrechtiano editus habetur.* Denique ostendit ex Hadriano I. & Ioanne Diacono, vitas Patrum & Confessorum, passionisque Martyrum quæ probabiles habebant auctores, Sæculo II. & IX. in Romana Ecclesia lectas fuisse. Sed de Gallicana res est clarior. Ibi enim Acta Martyrum populo prælecta non solum ex Lektionario suo probavit Mabillonius, sed etiam pag. 20. ex Hilduini ad Ludouicum Pium epistola & p. 39. 40. ex Gregorio Turonensi, ubi simul ostendit, lectiones ex vitis Sanctorum Epistolam & Euangelium præcessisse: Denique pag. 404. 405. ex Casario Arelatensi, & pag. 407. ex Ferrucio Vcetensi paria euincit. Præterea de Hispanis scribit idem pag. 20. 24. *Certe Hispani vitas Sanctorum in sacris etiam publicis recitabant, ut luculenter inter alia probat Braulionis Casar-Augustani Episcopi libellus de gestis beati Amiliani Abbatis, quem libellum idem conscripsit, ut posset in Missæ eius celebratione quanto citius legi, quemadmodum Braulio ipse in Prefatione sua loquitur.*

rum. In Africa eundem morem obtinuisse ex *Augustini epistola CLVIII. & de civitate Dei lib. XXII. cap. VIII.* probat Hoornbeekius Lib. I. Miscell. pag. 278. qui & ex Augustini Gestis Donatarum cum Emerito ostendit, eum instituisse, ut quotannis quadragesima ante Pascha in Africanis Ecclesiis *Gesta Collationis cum Donatistis* legerentur. Quod ad fidem confirmandam faciebat, quemadmodum eadem de causa olim in Ecclesia Romana Leonis Magni celeberrima ad Blauianum contra Eutychianos Epistola quotannis tempore Adventus legebatur, ut ex MS. Codice Romano notavit Baronius, cui addit Quenellius Dissert. I. pag. 275. *Ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ accepimus idem olim fabricatum in Ecclesiis Galliarum.* Postremo de Moscovitarum consuetudine in homiliis sacris Patrum legendis observationes elegantes capite primo Disputationis Gerhardinæ reperiuntur, & similia de Æthiopicis adfert Ludolfus lib. III. cap. 6. n. 58. 59. 60.

LX. Satis immorati sumus varietati sacrarum Lectionum, nunc eos quoque considerabimus, quibus legendi officium in Ecclesiis competebat. Hos *Lectorum* nomine adpellatos Scholasticis ab Apostolis institutos fingunt, adplaudente Baronio An. XLIV. Sed refellit eos Cardinalis Bona Lib. I. Liturg. cap. XXI. num. XVII. Unde miror, Guilelmum Beueregium Lib. II. Vindic. Can. Apost. cap. II. n. 4. & cap. X. n. 2. Baronianis figmentis subscripsisse. Nec multum abis Schelstratius, quando Annotat. ad Can. X. Concil. Antioch. cap. XVII. Artic. II. n. 2. Pseudo-Ignatium & Constitutiones Apostolicas adfert, quanquam de cætero egregia multa de Lectorum apud Græcos ordine obseruat. Ordinationes Lectorum apud Græcos, Latinos, Syros, aliosque Christianos vsitatas prolixè recenset Morinus in Opere de Sacris Ordinationibus, eo-que spectat *Benedictio Lectoris* in antiquo Missali Francorum apud Iosephum Thomassium & Mabillonium Lib. III. de Liturg. Gall. p. 302. De ætate Lectorum magna est inter eruditos disceptatio, quando aliqui in Iustiniani Nouella CXIII. legunt *annum octauum*: quos refellere conatur Moynius To. II. Var. Sacr. pag. 956. 957. aitque *decimum octauum* scribendum, & ineptum esse Scholium ad Nomocanonem Photii quod anno *sexto & tertio* consecrari dicit Lectores; ac ibi vult restitui *decimum tertium*. Sed



quid dicet ad exemplum Euthymii sub Valente & Theodosio Imperatoribus viuentis, cuius vita a Cyrillo Monacho Scythopolitano scripta Græce edita est per Cotelerium To. II. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ. In ea enim cap. 4. & 5. narratur, Euthymium, puerum vix triennem, ab Otreio, Melitenensis Ecclesiæ Antistite, in Lectorum numerum cooptatum esse. Plura quoque Græcorum a Lectoribus requisita in eorum Nomocanone reperies, quem Tomo I. Monumentorum inseruit Cotelerius, nec non apud Gouarum in Euchologio Græcorum, qui vestes quoque Lectorum apud Græcos figura ænea exhibet p. 241. De Latinis autem modernis verissimum est effatum Icti summi D. Casparis Ziegleri, Institut. Iuris Canonici ad Lancelottum Lib. I. Tit. XXIII. p. 148. *Et si adhuc Pontificii suos habeant Lectores, dum tamen illi non ita legunt, ut populus intelligat, multum recessisse eos ab officio Lectorum antiquæ Ecclesiæ, nemo non videt.* Idem in Commentario de Diaconis cap. VIII. num. 34. *Lectoribus vetus, Diaconis Nouum Testamentum predicare præceptum esse ex Isidoro obseruat, quod pariter commemorat Bona tum citato loco, tum lib. II. cap. VI. num. III. & cap. VII. num. 1. De cætero facile adsentior viris eruditissimis, qui Christianos ex usu Iudaicæ Ecclesiæ Lectores retinuisse statuunt cū Hugone Grotio de Imperio summarum potestatum circa Sacra Cap. X. num. 1. Ioan. Lightfooto Hor. Ebr. & Talmud, in Matth. IV, 23. Moynio To. II. Var. Sacr. pag. 955. CL. Rechenbergio Dissert. de Titulis & Gradibus Ecclesiasticis Tit. IV. n. 4. ut alios plurimos taceam. Quæ omnia prolixius nos edocebit CL. Sagittarius in Diatriba singulari de Lectoribus, quam Dissert. de Natalit. Mart. c. 4. n. 29 promissam ut propediem feliciter edat, optamus.*

LXI. Antiquioribus sæculis lingua vulgari diuinos libros prælegebant, ut Nostrates Theologi aduersus Pontificios euincunt in celebri quæstione, an sacra sermone vulgari sint peragenda? Ridiculum vero est Baronii effatum, *in sacris Missarum solemnibus penes Græcos semper eam viguisse consuetudinem ut tam Lektionen Evangelicæ quam Apostolicæ, primum Latine, inde Græce eadem in Ecclesia publice recitarentur:* cui respondit Isaacus Casaubonus Exerc. IX. Diatriba III. Apud Coptos tamen olim viguit consuetudo, ut Epistolam & Euangelium Græce primum deinde Arabice lege-

legerent, quod ex Hemmingio probat Hottingerus Sac. XVI. Hi-
stor. Eccles. Parte I. pag. 55. vnde etiam liquet, Lectionarium, cu-
ius num. XXXVI. meminimus, Coptis fuisse vsitatum. Moder-
norum Coptitarum vsus a Iosepho Abudacno, seu Barbato, Mem-
phis Ægypti oriundo, religione Coptita, qui circa annum c. l. c.
XII. Oxoniæ Arabicam linguam professus est, in Historia Iacobi-
tarum seu Coptorum c. VII. his verbis descriptus habetur: *Lectioes
cum Euangelio, prius lingua Coptica recitantur, postea vero Ara-
bica, vt omnes qui adsunt possint percipere.* Quod vnde fiat, ex-
ponit Simonius lib. II. Histor. Crit. c. 16. pag. 88. idemque sub no-
mine Hieronymi le Camus creditur latere, & paria de Coptis ob-
feruat in Iudicio de Responsione Vossii pag. 9. Quando autem
Waltonus statuit, *Coptos post lectum Euangelium lingua Syriaca
legere idem Arabica,* de iis saltem intelligendus videtur, qui Ma-
ronitis adhærent, de quibus idem Waltonus Proleg. XIV. n. 4. scri-
bit: *Syri Maronite Liturgias suas & diurnalia duplici lingua le-
gunt, Syriaca vetustissima & Arabica, quia Syriacam non nisi docti
intelligunt, Arabicam vero habent vernaculam.*

LXII. Lecturi Ambonem conscendebant. Ita enim adpel-
latur apud Græcos pariter & Latinos locus in Ecclesia exornatus
parto editoque ædificio, in quo aliquot gradibus ascendebatur. O-
riginem vocis ab *ἀναβαλν* deriuant Franciscus Bernardinus Fer-
rarius Lib. III. de ritu sacrarum Concionum cap. IX. & Henricus
Spelmannus in Glossario. Prolixe is depingitur ac describitur a
Carolo du Fresne in CPoli Christiana & Schelstratio in Ichnogra-
phia Templorum Græcorum, quam illustrationi Canonis secundi
Concilii Antiocheni inseruit, cap. IV. num. 8. vt Bonam Lib. I. Li-
turg. c. VI. n. 3. Lud. de la Cerda Aduers. Sacr. variis locis de iis a-
gentem ac Morinum lib. VI. de Pœnit. c. VI. prætereamus. Ait
ibidem Morinus, se ea in libro, quem de Antiquis Christianorum
Ecclesiis scripsit, diligenter persequutum esse, eiusque argumenta
describit in Epistola ad Lucam Holstenium, quæ in Antiquitatibus
Ecclesiæ Orientalis Londini editis LXVIII. est. In LXVI. præcedente
Abraham Ecehellensis Morino quædam exponit de loco, vbi in Eccle-
siis Maronitarum sacri libri leguntur, quæ curiosus Lector euoluat.

LXIII. Varias ceremonias in hoc actu vsitatas exponit lau-
datus

2711

24
11

2711

datum Zieglerus noster de Diac. cap. IIX. num. 25. ex Ruperto Tuitiensi, grauiſſimeque iudicat, *Hierophantam agere Rupertum vt faciunt omnes illi qui ſpecialeſ ceremonias illis ſanctitatē & virtutem tribuunt.* Similibus cauſis myſticis ac ſymbolicis tempus perdunt alii de officiis ſcriptores, Amalarius, Pſeudo-Alcuinus, Durandus & ceteri: quas etiam ſummo ſtudio venatur Ioan. Steph. Durantus L. II. de Ritibus Eccleſ. Cathol. cap. XVIII. & XXIII. Nos ſimpliciter breuiterque ritum deſcribemus. De Græcis num. XXVII. obſeruauimus, benedictionem ab Epifcopo Lectoribus concedi: idem de Maronitis refert Bona Lib. II. c. 7. n. 5. & n. 3. de Latinis Imperata benedictione Lector ad Ambonem procedebat, Diacono clamante: *ἠσώχωμεν*, vel: *ſilentium facite.* Quod ex Græcis ſcriptoribus probat Croius Obſeruat. cap. IV. ex Latinis Mabillonius de Liturgia Gallicana Lib. I. c. II. III. nempe ex Ambroſio eiusque officio p. 9 ex Mozarabico p. 11. & ex Gregorio Turonenſi p. 38. Idque ad exemplum gentilium factum eſſe Barnabas Briſſonius Lib. I. Formularum p. 89. & Cardinalis Bona de diuina Palmodia cap. VI. §. XIV. n. 6. haud obſcure indicant. Olim Lectores *populum ſalutabant*, dicendo: *Pax vobis*, vt patet ex Cypriano: ſed eam conſuetudinem abrogarunt Afri in Concilio Carthaginenſi an. 397. Canone IV. quem poſt Albaſpinæum illuſtrat Schelſtratus Diſſert. III. de Eccleſ. Afric. cap. VII. n. 6. Dum legeretur Epiftoſta & pericope Prophetica, ſedebant Epifcopus & miniſtri, cuius rei cauſas exponunt Amalarius & alii apud Allatium de lib. Eccleſ. Gr. p. 49. Sed in proceſſione ad Euangelium legendum Diaconum præibant ceroferarii, ſiue Acoluthi, quos apud Græcos *Deputatos* *Δεπρωτῆτες* dici cenſet Allat. pag. 35. Uſum cereorum Hieronymus tempore ſuo receptum indicat Lib. aduerſus Vigilantium. Plura de Thurificationibus & Subdiaconis præcedentibus exponit Bona Lib. I. Liturg. cap. 7. n. 2. & num. 3. antiquum ritum deſcribit, quo omnes baculos deponebant, ſtabantque curui & aperto capite, quum Euangelium legeretur. Quam in rem conferri merentur Allatius p. 35. Durantus lib. II. c. XXII. a num. 17. & Moynius To II Var. ſacr. a p. 985. egregie conſuetudinem Indorum non ſtantium ad Euangelii lectionem, ſed ſedentium, ab Alexandrinis deriuans, & Epifcopos quoque *pedum paſtorale* depoſuiſſe oſtendens.

F I N I S.

1077

Q. K.
415,
24

LEC
SA

M. VVIL

ORDIN.

GEORG

AD D.



TYPIS

Πι
2711

M

ESTO

CTO,

ZIVS,

CV.



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

